

Sententia quarte distinctionis tam in generali quam in speciali

Distinctio quarta

*Hic oritur questio. Superius MAGISTER probauit trinitatem Personarum et*  
5 *unitatem essentie auctoritate, rationibus et similitudinibus. Hic incipit*  
*questiones incidentes circa predicta determinare, premiserat enim supra*  
*distinguens Personas uel processionem unius ab aliis; unde circa*  
*processionem unius ab alia questiones mouet et determinat. Et secundum*  
10 *hoc pars ista diuiditur in tres partes, quia primo mouet questiones*  
*circa processionis suppositum uel terminum, secundo circa processionis*  
*modum, tertio circa processionis principium. Secunda pars incipit 6<sup>a</sup>*  
*distinctione ibi: Preterea queri solet; tertia in principio 7<sup>e</sup> distinctionis*  
*ibi: Hic solet a quibusdam. Est autem sciendum quod licet MAGISTER moueat*  
15 *de generatione Filii a Patre, tamen headem questiones possunt fieri*  
*de processione Spiritus Sancti et determinantur eodem modo. Prima potest*  
*diuidi in duas: primo enim ponit questionem de nominibus*  
*essentialibus in concreto, utrum scilicet possint significare ut suppositum*  
*generationis an ut finis; secundo mouet questiones de nominibus*  
*essentialibus in abstractione significantibus, ibi: Post hoc queritur. Prima uero*  
20 *est presentis lectionis et diuiditur in tres partes: primo enim premitit*  
*hanc questionem, utrum hec sit uera "Deus genuit Deum"; secundo*  
*excludit circa hoc incidentem opinionem; et tertio obiicit in*  
*contrarium circa determinata. Secunda ibi: Quidam tamen aduersarii*

---

1,4,12 ibi Preterea] *ori.: inu. π* 13 solet] *an supplendum cum Lombardo queri?*  
14 headem] *eadem π* 15 determinantur] *scr. cum Thom.: determinatur π*  
17 significare] *significare Thom.*

---

1,4,4 Hic...questio] *Lomb., 77, 21-24 | Superius] cf. Lomb., 68, 21 - 77, 18*  
*Superius...26 generali] Cf: Thom., Super Sent., I, 4, diu. textus (129-130)*  
12 Preterea...solet] *Lomb., 89, 4* 13 Hic...quibusdam] *Lomb., 91, 15-16*  
19 Post...queritur] *Lomb., 80, 26-27* 23 Quidam...ueritatis] *Lomb., 79, 4*

*ueritatis*; tertia ibi: *Nunc autem ad premissam questionem reuertamur*. Prima diuiditur in duas partes, secundum quod duplici uia opponitur; secunda ibi: *Set ad hoc opponitur*. Et hec est sententia MAGISTRI in generali. 25

[2] In speciali sic procedit MAGISTER: inquit *utrum* hec sit uera "*Deus genuit Deum*". Et uidetur quod non. *Si enim Deus genuit Deum, aut ergo se aut alium: si se*, tunc ergo idem est generans et genitus, quod est impossibile; *si alium*, ergo in diuinis sunt plures dii. Et respondet 30  
MAGISTER *quod Deus genuit Deum*, non tamen se nec alium in diuinitate, set alium in persona.

Postea opponit ad questionem alia uia: *si enim Deus genuit Deum, aut Deum qui est Deus Pater*, et sic genuit se, *aut genuit Deum qui non est Deus Pater*. Et respondet quod illa propositio habet duos 35  
sensus, uidelicet uno modo ut sit sensus: *genuit Deum qui non est Deus Pater*, id est *Deum qui non est Pater*, et sic est uera; uel sic: genuit Deum qui non est idem Deus cum Deo Patre, et sic est falsa, quia in diuinis est unus solus Deus.

Postea incidentaliter excludit quorundam opinionem. 40  
Supposuerat enim in predicta solutione quod personale nomen predicatur de essentiali ut dicatur "*Deus est Pater*". *QUIDAM tamen* sunt in contrarium opinati; dicunt enim quod hec est uera "*tres Personae sunt unus Deus*", non tamen *econuerso*. Set MAGISTER dicit quod

---

26 ad hoc] adhuc *Lomb.* | opponitur] opponunt *Lomb.*

24 Nunc...reuertamur] *Lomb.*, 80, 13    26 Set...opponitur] *Lomb.*, 78, 15  
27 inquit...32 persona] cf. *Lomb.*, 77, 21 - 78, 14    33 Postea...39 Deus] cf. *Lomb.*, 78, 15-33    40 Postea...46 auctoritates] cf. *Lomb.*, 79, 1 - 80, 11  
42 Quidam] cf. *Lomb.*, 79, 4 (contra Gilbertum Porretanum; cf. N. Häring, "Das sogenannte Glaubensbekenntnis des Reimser Konsistoriums von 1148", *Scholastik*, 40 [1965], 87, B, II)

45 secundum fidem catholicam utraque est uera, quod probat per  
multas auctoritates.

Vltimo contra determinationem precedentis questionis obiicit  
per auctoritatem AUGUSTINI, qui dicit quod *Pater genuit alterum a se*,  
quod uidetur contra solutionem predictam. Et MAGISTER respondet  
50 quod hoc sic intelligendum est: "*genuit alterum a se*", idest alterum qui  
est idem in natura cum ipso, set alter in persona. Et in hoc  
terminatur sententia in speciali.

### Questio prima

#### Vtrum in diuinis sit generatio

[1] Circa distinctionem istam queritur primo utrum in diuinis sit  
5 generatio, et secundo de propositionibus exprimentibus diuinam  
generationem. Ad primam sic proceditur et arguitur quod in diuinis  
non sit generatio, quia a quo remouetur superius, et inferius; set  
mutatio superior est ad generationem; ergo cum in diuinis non sit  
mutatio, uidetur quod nec generatio.

10 Item si in diuinis esset generatio, illa esset equiuoca uel  
uniuoca; set non est equiuoca nec uniuoca; ergo etc. Probatio  
minoris, et primo quod non sit generatio equiuoca, quia secundum

---

50 sic] *coni.*: sit  $\pi$  | est] *coni.*: &  $\pi$  1,4,1,10 Item] *scr.*: I  $\bar{\epsilon}$   $\pi$  | uel] *coni.*: nec  $\pi$

---

47 Vltimo...51 persona]† cf. Lomb., 80, 12-22 48 Pater...se] cf. Alypius et  
Aug., *Epist.*, 170, 5 ([CSEL 44] 625, 19) 1,4,1,2 Vtrum...generatio] cf. Thom.,  
*Super Sent.*, I, 4, 1, 1 (130-133); *S.th.*, I, 27, 2

- AUGUSTINUM in Filio est perfecta ratio ymaginis, quia in eo nulla est dissimilitudo; set generatio equiuoca excludit perfectam similitudinem; ergo etc. 15
- [2] | Item nec uniuoca, quia tantum differunt gignens et genitum quantum proprietates eorum constitutiue; set paternitas et filiatio, que constituunt Patrem gignentem et Filium genitum, sunt diuersarum rationum; ergo gignens et genitus sunt diuersarum rationum; set tunc non est generatio uniuoca; ergo etc. 20
- [3] In contrarium est quod dicitur ISAIE ultimo: *Ego qui aliis generationem tribuo, nunquid sterilis ero?*
- [4] Et arguitur per rationem: paternitas et filiatio sequuntur generationem; set in diuinis est paternitas et filiatio, ut patet ex multis locis *Scripture*; ergo in diuinis est generatio. 25
- [5] Responsio. Tenendum est simpliciter quod in diuinis est generatio quamuis per rationem humanam *non possit hoc efficaciter* probari, licet dicant QUIDAM oppositum sicut de pluralitate Personarum, quorum opinio prius recitata fuit distinctione 2<sup>a</sup> cum rationibus eorum in questione utrum cum unitate essentie possit realiter esse pluralitas Personarum; et ostensum fuit quod rationes non concludunt. Nunc autem persuadebitur propositum, scilicet quod generatio sit in diuinis facta, quadam suppositione fidei, uidelicet quod in diuinis sint plures Persone, quo supposito potest satis efficaciter probari quod generatio sit in diuinis. 30 35

---

21 Isaie] *scr.*: Esaie π 23 sequuntur] sequuntur π

---

13 in<sup>1</sup>...dissimilitudo] cf. Aug., *Serm. de Vetere Test.*, 9, 9 (125, 344-345); *De Gen. ad litt. imperf.*, 16 ([CSEL 28.1] 501, 15-16) 21 Ego...ero] cf. Is., 66, 9  
 25 Scripture] cf. Matt., 3, 17; Ioh., 14, 16; Paul., *Eph.*, 3, 15; I Ioh., 5, 20  
 27 per...probari] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 4, 1, 1, sol. (131)  
 29 distinctione...32 concludunt] cf. supra, I, 2, 4

[6] Ad quod probandum ostendetur primo quod Persone diuine distinguntur relationibus originis, et secundo ostendetur quod aliqua origo habet in diuinis rationem generationis. Primum patet sic, quia si sint plures Persone in diuinis, aut differunt in absolutis aut solum  
40 relationibus.

Non in absolutis, quia cum illud absolutum non sit essentia, que in diuinis est una nec distinguit nec distinguitur, oporteret quod esset additum essentie diuine; set absolutum additum alii absoluto facit compositionem; ergo in diuinis esset compositio, quod est  
45 impossibile; quare impossibile est distinctionem diuinarum Personarum fieri per absoluta.

Sit ergo per relationes et quidem per relationes reales, quia relationes rationis non distinguerent nisi secundum rationem. [7] Relationum autem triplex est genus, ut patet V Methaphisice: quedam enim fundantur super unum et multa, ut equalitas,  
50 similitudo; quedam super rationem mensure et mensurati, scientia et scibile; quedam super actionem et passionem siue super originem, ut paternitas et filiatio. Oportet ergo quod Persone diuine distinguantur per aliquod genus relationum.

Set non possunt distingui per relationes fundatas super unum in quantitate uel qualitate, ut sunt similitudo et equalitas: primo, quia tales relationes aut non sunt reales omnino aut saltem in diuinis, ut patebit infra distinctione 31<sup>a</sup> ; secundo, quia relatio non distinguit Personas nisi includat oppositionem, set oppositio relationum  
60 equalitatis et similitudinis supponit distinctionem suppositorum (equale enim presupponit aliquid iam constitutum cui equalitas

---

50 quedam...53 filiatio] cf. Arist., *Metaph.*, V, 15, 1020b26-1021a30; Thom., *In Metaph.*, V, 17, 1001-1003 (266) 57 tales...diuinis] cf. infra, I, 31, 1 (86rb-vb)

attribuitur); ergo talis oppositio non facit distinctionem. Item nec distinguuntur per secundum genus relationum, quia ratio mensure et mensurati omnino non sunt in diuinis; et si essent, relatio tamen mensure ad mensurabile non est realis, set solum secundum rationem; relatio autem rationis non distinguit realiter. 65

Relinquitur ergo quod distinguantur per tertium genus relationum, que sunt relationes originis; et hoc est primum.

[8] Secundum patet sic: illud quod accipit ab alio esse et naturam et modo nature dicitur ab eo generari; set prima Persona producta in diuinis accipit a Persona producente esse et naturam et modum nature; ergo generatur ab ea. Maior patet, quia *generatio* terminatur ad aliquod *esse*, sicut *corruptio ad non esse*, est etiam uia ad naturam et dicitur a DAMASCENO *nature opus*; et ideo ubi aliquid accipit ab alio esse et naturam et modo nature dicitur uere ab illo generari. Minor declaratur, quia prima Persona diuina producta ab alia accipit ab eadem esse et naturam, non solum eandem genere sicut in generatione equiuoca, aut specie sicut in generatione uniuoca, set eandem numero; prima etiam Persona producta hoc accipit modo nature, ut infra dicitur, quia procedit ab una Persona tantum, hic autem est modus nature, ut infra dicitur quod unum sit ab uno tantum | modo quo exponetur. Est ergo generatio in diuinis. π28vb 70 75 80

---

71 modum] *an scrib. modo?*

69 illud...generari] cf. Thom., *S.cg.*, IV, 16 (67b36-37) 72 generatio...esse<sup>2</sup>] cf. Auct. Ar., 2, 152-153 (152, 54-55); Arist., *Phys.*, V, 1, 225a12-20 74 nature opus] Ioh. Dam., *De fide orth.*, I, 8, 4 (32, 78) 81 unum...tantum] cf. infra, I, 6, 2, [17] (31vb); cf. Auic., *Metaph.*, IX, 4 (481, 50-51); Auer., *Metaph.*, XII, 44 (327I); A. de Libera, "Ex uno non fit nisi unum. La Lettre sur le Principe de l'univers et les condamnations parisiennes de 1277", in B. Mojsisch - O. Pluta (Hrsg), *Historia Philosophiae Medii Aevi*, 543-560

[9] Ad primum argumentum dicendum est quod mutatio non est de ratione generationis, sicut superius est de ratione inferioris, loquendo absolute de generatione formali. Solum enim de ratione generationis est acceptio esse et nature ab alio modo quo dictum est, ita tamen quod sit ibi aliquid communicatum, non productum de quo dicitur genitum generari; alioquin non esset generatio proprie, quia si homo produceret hominem de nichilo, non esset generatio, set creatio.

85

90 Semper enim in generatione aliquid supponitur quod per generationem non producitur, set communicatur; set quia in creaturis illud quod communicatur et non producitur est sola materia, que cum sit pura potentia, omni forma carere non potest nec plures specificas simul habere, ideo generans non potest communicare eam

95 genito sine omni forma nec cum forma preexistente, quia super illam generans non habet aliquam actionem nisi forte in corrumpendo; ideo generans communicat eam cum forma noua per ipsum introducta et precedente expulsa, in quo est uera mutatio; omnis ergo generatio in creaturis includit ueram mutationem. Set hoc non

100 est de absoluta ratione generationis, set contingit ex imperfectione eius quod communicatur et modi communicandi. In diuinis autem non sic est, quia essentia diuina, que communicatur per generationem et non producitur, est secundum se actu ens et potest communicari nichil absolutum amittens uel acquirens; propter quod

105 non est ibi mutatio, nec credo quod generatio dicatur uniuoce in Deo et in creaturis, set analogice.

[10] Ad secundum dicendum quod in diuinis est generatio uniuoca propter unitatem nature in generante et genito, non obstante diuersitate proprietatum constituentium supposita, quia equiuocatio et uniuocatio generationis respiciunt naturam generantis et geniti magis quam proprietates sub quibus est natura. Et cum dicitur quod

110

generans et genitum sunt diuersarum rationum secundum speciem, dicendum quod falsum est, quia concurrunt in unum et idem numero, quod est realiter eius commune. Istud autem non inuenitur in suppositis differentibus specie nec sequitur "relationes differunt specie, ergo et supposita per relationes constituta", quia aliquid aliud actuale quam ratio pertinet ad rationem suppositi, scilicet essentia; propter quod non tantum differunt supposita diuina secundum esse, quod ad rationem suppositi pertinet, quantum differunt sole relationes; in creaturis autem tantum differunt supposita quantum ea que formaliter supposita constituunt, quia supposita nichil aliud actuale per se includunt.

[11] Vel dicendum aliter quod sicut in diuinis non dicitur generatio uniuoce cum generatione que est creaturis, sic quo ad naturam per generationem communicatum est ibi plus quam uniuocatio, set quo ad proprietatem Personam constituentem formaliter est ibi quasi equiuocatio; nec oportet alterum tantum dare sicut in creaturis, quia altera ratio est in diuinis, altera in creaturis, quantum ad ea que intrinsece supposita constituunt, ut statim dictum est.

130

### Questio secunda

#### Vtrum Deus genuit Deum

---

113 in] *huc transposui: post idem π*

---

1,4,2,2 Vtrum...Deum] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 4, 1, 2 (133-135); *S.th.*, I, 39, 4



- [1] Secundo queritur utrum ista sit uera "Deus genuit Deum". Et  
 5 uidetur quod non, quia si esset uera, hoc esset tantum pro persona  
 Patris; set sicut Deus Pater generat, ita Deus Filius non generat; ergo  
 si hec concedatur "Deus genuit" pro Patre, eadem ratione hec debet  
 concedi pro Filio et Spiritu Sancto "Deus non genuit", quod tamen  
 non conceditur.
- 10 [2] Item si Deus genuit Deum, aut se Deum aut alium Deum; non se  
 Deum, quia nichil seipsum gignit, ut habetur I D e Trinitate,  
 nec alium Deum, quia iam essent plures dii; igitur etc.
- [3] In contrarium est quod dicitur in Symbolis fidei, *Deum de*  
 π29ra *Deo*, quod non est nisi per generationem. |
- 15 [4] Item patet idem per sillogismum expository sic: Pater genuit  
 Filium; Pater est Deus: ergo Deus genuit Filium; set Filius est Deus;  
 ergo Deus genuit Deum.
- [5] Responsio. Ad euidenciam questionis primo uidendum est  
 quomodo differunt Deus et deitas, et ex hoc apparebit quomodo hec  
 20 sit uera "Deus genuit Deum", et non ista "deitas genuit deitatem".
- [6] Est ergo notandum quod quantum ad signatum et modum  
 signandi ita uidentur se habere `Deus` et `deitas` sicut `homo` et  
 `humanitas`. `Humanitas` autem significat naturam absque  
 habitudine ad supposita, `homo` autem et uniuersaliter omne  
 25 concretum includit suppositum saltem ex modo suo signandi; quod  
 patet: actiones sunt suppositorum, attribuuntur autem concretis et  
 non abstractis. Hec enim est uera "album currit", et non hec "albedo  
 currit", quod non esset nisi suppositum importaretur per concretum,

1,4,2,15 genuit] geunit π 21 signatum] *an scrib.* significatum? 22 signandi] *an scrib.* significandi? 25 signandi] *an scrib.* significandi?

11 nichil...gignit] cf. Aug, *De Trin.*, I, 1, 1 (28, 35-36) 13 Deum...Deo] cf. *Symb. Nicaenum*, \*\*\*

quod non importatur per abstractum. Similiter hec est uera "rationale disputat", et non illa "ratio disputat". Hec etiam recipitur tanquam uera et propria "homo edificat", non autem hec "humanitas edificat" uel saltem non est propria. Ex quo patet quod concretum importat suppositum, non autem abstractum. 30

[7] Est etiam aduertendum quod inuenitur triplex concretum: quoddam accidentale, ut `album`; quoddam substantiale, set denominatiuum, ut `animatum`; quoddam substantiale quod non est denominatiuum, ut `homo`, `animal`. Omnibus autem concretis commune est quod dant intelligere suppositum et pro supposito reddunt locutionem ueram, ut "album currit" pro "Sorte currente", "rationale disputat" uel "homo mouetur". 35 40

[8] Ex hoc patet quod hec est uera "Deus genuit Deum", non autem est ista "deitas genuit deitatem", quia actiones que important distinctionem in diuinis non possunt conuenire nature, set tantum suppositis, quia natura est una, supposita uero plurificantur et distinguuntur; set generatio est actio que importat distinctionem (nichil enim seipsum gignit, ut habetur I De Trinitate); ergo non potest in diuinis competere nature, set tantum suppositis. `Deitas` autem importat solam naturam absque habitudine ad supposita, `Deus` autem importat suppositum habens naturam diuinam; ergo hec potest uerificari pro supposito generante et genito "Deus genuit Deum", quia Pater genuit Filium, non autem hec "deitas genuit deitatem". 45 50

[9] Ad primum argumentum dicunt QUIDAM quod hec est uera "Deus genuit Deum", et ista est falsa "Deus non genuit Deum"

---

41 patet] pater  $\pi$

46 nichil...gignit] cf. Aug, *De Trin.*, I, 1, 1 (28, 35-36)

55 Quod declarant sic, quia termino communi differunt preponere et  
 postponere negationem; nam negatio preposita termino communi  
 cadit super totum significatum et ideo negat totum, quia negato  
 significato negatur totus ambitus suppositorum, quia ad quodlibet  
 60 suppositum sequitur ratio significati. Vnde sequitur "non homo  
 currit; ergo nullus homo currit", set negatio postposita termino  
 communi non cadit super totum significatum, set tantum super  
 predicatum, ut si dicatur "homo non currit", negatur quidem omnis  
 cursus ab homine, set non ab omni homine, termino autem discreto  
 nichil differt preponere uel postponere negationem, quia pro uno  
 65 tantum affirmatur uel negatur quicquid de termino discreto dicitur.  
 Ad propositum ergo `Deus`, ut dicunt, est terminus discretus, quia  
 importat naturam que non est plurificabilis, et ideo non differt dicere  
 "Deus non generat" uel "non Deus generat", quia negatur generatio  
 ab omni illo cui conuenit ratio termini et ita negatur a patre cui  
 70 competit generare; ergo similiter hec est falsa "Deus non generat".  
 [10] Set istud non cogit, quia `Deus` non habet rationem termini  
 discreti, set communis in quantum tribus Personis conuenit, ratione  
 cuius communitatis aliquis diceret, et bene, quod differt preponere et  
 postponere negationem. Item ista positio seipsam impedit, quia sicut  
 75 quod negatur a termino discreto negatur pro omni cui conuenit ratio  
 termini discreti, ut "Sortes non currit", sic quicquid affirmatur de  
 omni illo cui conuenit ratio termini discreti affirmatur, ut dicendo  
 "Sortes currit". Si ergo `Deus` simpliciter habet rationem termini  
 discreti, dicendo "Deus non generat" negatur generare ab omni  
 π29rb supposito diuino et sic falsificatur | pro Patre; ita dicendo "Deus

---

63 homine<sup>1</sup>] hominem π 69 negatur] *oni.*: negetur π 79 negatur] *oni.*: negetur  
 π 80 Patre] *oni.*: parte π

generat" affirmatur generare de omni supposito diuino et sic falsificatur pro Filio et Spiritu Sancto, qui non generantur, contrarium cuius IPSI dicunt.

[11] ALII dicunt quod hoc nomen `Deus` proprie loquendo nec est uniuersale nec singulare, set habet aliquid de ratione uniuersalis et aliud de ratione singularis: ratione primi habet quod predicatur essentialiter de pluribus suppositis et inde habet quod ea que predicantur de singulis suppositis predicantur de ipso; habet autem de ratione singularis quia non multiplicatur ad rationem suppositorum; dicimus enim quod Pater et Filius sunt unus Deus, Sortes uero et Plato sunt plures homines. Et ex parte ista habet hoc nomen `Deus` quod affirmatio et negatio dicte de hoc nomine `Deus` opponuntur contradictorie. Vnde sicut iste non possunt esse simul uere "Sortes currit", "Sortes non currit", sic nec iste "Deus generat", "Deus non generat".

[12] Set hec solutio non ualet: primo, quia contradicit sibiipso; dicit enim quod ea que predicantur de singulis suppositis predicantur de hoc nomine `Deus`; set generare predicatur de Patre, non generare de Filio; ergo non generare et generare predicantur de Deo dicendo "Deus generat" et "Deus non generat", cuius oppositum postea dicunt. Secundo, quia hoc nomen `Deus` habet ex unitate nature diuine quod non predicatur de pluribus suppositis pluraliter, set in singulari, et idem iudicium est de omnibus predicatis essentialibus, precipue substantiuis; set respectu predicatorum substantialium, que sunt propria suppositis et plurificantur, debet dici totum oppositum ita quod affirmatio et negatio habeant subcontrarie et possint simul uerificari, dicendo "Deus generat" et "Deus non generat".

[13] Ideo dicendum est aliter quod quantum est de uirtute sermonis, ista potest uerificari "Deus non generat", sicut hec "Deus generat",

110 quia cum hoc nomen `Deus` stet pro supposito habente diuinitatem,  
 potest de eo aliquid uere enuntiari pro uno supposito et negari pro  
 alio. Et ideo cum generare conueniat Patri, ista potest uerificari  
 "Deus generat", et cum non conueniat Filio nec Spiritui Sancto  
 potest ista uerificari "Deus non generat" quantum est de uirtute  
 115 sermonis, sicut hee due uerificantur "homo currit" et "homo non  
 currit" pro diuersis; tamen non recipitur a magistris ne sit occasio  
 erroris in imperitis ex hoc credentibus quod omnino non sit  
 generatio in diuinis.

[14] Et notandum quod ubi in uno supposito sunt plures nature, de  
 120 illo supposito possunt uerificari contradictoria ratione alterius nature,  
 ut patet in Christo; ergo ubi in una natura sunt plura supposita de  
 termino significante naturam in concreto, possunt contradictoria  
 uerificari ratione alterius et alterius suppositi, ut hee "Deus generat"  
 et "Deus non generat", quamuis hec "Deus non generat" non  
 125 recipiatur communiter propter causam predictam.

[15] Ad secundum dicendum quod non sequitur "Deus genuit  
 Deum; ergo aut se Deum aut alium Deum", quia `alius` est relatiuum  
 diuersitatis essentie, `se` autem relatiuum identitatis non solum  
 essentie, set persone. Et quia in diuinis Pater non est alius a Filio in  
 130 essentia nec idem in persona, ideo non sequitur "Deus genuit Deum;  
 aut ergo se Deum", quod notat identitatem persone, "aut alium  
 Deum", quod designat diuersitatem essentie.

[16] Et si dicatur quod immo, quia idem et diuersum diuidunt ens  
 sufficienter, dicendum quod uerum est uno modo et uniformiter  
 135 accepta, utpote si referant tantum essentiam uel tantum personam,  
 set si referant utrunque simul, ut in proposito, utrunque potest

---

111 enuntiari] enunciari  $\pi$  (*item alibi*)    115 hee] hæ  $\pi$     123 hee] hæc  $\pi$   
 133 immo] imò  $\pi$

falsificari pro altera parte, scilicet pro essentia, cuius notat diuersitatem, uel pro persona, cuius notat identitatem.

[17] De hac consequentia quam MAGISTER facit, "*Deus genuit Deum qui est Deus Pater aut qui non est Deus Pater*", dicendum quod 140 consequentia est bona et uerificatur pro hac parte "Deus genuit Deum qui non est Deus Pater"; est enim regula quod relatiuum refert antecedens sub eodem modo supponendi sub quo precessit. Et ideo cum Deus in antecedente stet pro Persona, eodem modo stat in consequente relatiuo cum dicitur "aut Deum qui est personaliter 145 Pater", quod non est uerum, "aut Deum qui non est Deus Pater personaliter", et hoc est uerum. Et si inferatur "ergo non | tantum  $\pi$ 29va est unus Deus", non sequitur absolute, quia plus negatur in consequente quam in antecedente; in antecedente enim solum negatur unitas in persona propter rationem dictam, set in 150 consequente, si absolute capiatur, negatur omnis unitas tam in essentia quam in persona. Si autem inferretur cum determinatione, bene sequeretur dicendo sic "Deus genuit Deum qui non est Deus Pater; ergo non est tantum unus Deus personaliter", quod utique 155 uerum est.

---

<sup>139</sup> Deus...Pater<sup>2</sup>] cf. Lomb., 78, 16-17

## Sententia quinte distinctionis in generali et speciali

[1] *Post hoc queritur.* Superius MAGISTER mouit questionem de nominibus essentialibus concretis, *hic* mouet *questionem de nominibus significantibus essentiam in abstracto, utrum aliquid eorum se possit habere ad generationem ut subiectum uel terminus.* Et circa hoc tria facit: primo mouet questionem; secundo determinat eam; tertio determinationem confirmat. Secunda ibi: *Ad quod autem catholicis.* Tertia ibi: *Ideo non est dicendum.* Hec ultima diuiditur in duas partes: primo enim ostendit quod diuina essentia non se habet ad generationem ut terminus ut dicatur generata; secundo ostendit quod nec se habet ad ipsam ut principium ut dicatur generans. Secunda ibi: *Itaque etiam non est dicendum.* Prima istarum diuiditur in duas partes: primo probat intentum triplici ratione; secundo obiicit in contrarium. Secunda ibi: *Huic autem uidetur contrarium esse.* Secunda pars, in qua ostendit quod essentia non dicitur generans, diuiditur in duas partes: primo enim ostendit quod nec essentia generat essentiam nec essentia generat Filium; secundo obiicit contra utrunque. Secunda pars ibi: *Predictis autem uidetur contrarium.* Et hec secunda diuiditur in duas: primo obiicit per auctoritatem AUGUSTINI et HILARII quod essentia generat essentiam, et soluit utranque; secundo obiicit quod essentia generat Filium, et soluit. Secunda ibi: *Videtur quoque et frequenter.* et hec est sententia et diuisio in generali.

---

1.5.0,3 hoc] haec *Lomb.* 11 Itaque] Ita *Lomb.* 21 Videtur] *an scrib. cum Lombardo Dicitur?*

---

1.5.0,3 1...queritur] *Lomb.*, 80, 26-27 | Post...queritur] | Superius...concretis] cf. *Lomb.*, 77, 21-80, 22 4 hic...11 generans] cf. *Thom.*, *Super Sent.*, I, 5, diu. textus (149) 8 Ad...catholicis] *Lomb.*, 81, 2 11 Itaque...dicendum] *Lomb.*, 82, 16 14 Huic...esse] *Lomb.*, 83, 24-25 18 Predictis...contrarium] *Lomb.*, 82, 23-24 21 Videtur...frequenter] *Lomb.*, 85, 2

[2] In speciali uero sic procedit MAGISTER. Et querit primo *utrum concedendum sit quod Pater genuerit diuinam essentiam*, et *utrum diuina essentia genuit Filium*, et *utrum essentia genuit essentiam*, et *utrum essentia* 25  
 possit dici quod nec generet nec sit generata nec procedat. Postea respondet MAGISTER et dicit *quod nec Pater genuit essentiam nec essentia Filium nec essentia genuit essentiam*.

Postea probat primum horum, scilicet quod Pater non genuit diuinam essentiam, et hoc triplici ratione. *Prima* talis est: omne illud 30  
 quod generatur relatiue dicitur ad aliud et econuerso; set si diuina essentia generaretur, diceretur relatiue, quod falsum est, quia non significaret substantiam. *Secunda* talis est: Pater est diuina essentia; si ergo Pater generet diuinam essentiam, ergo genuit se et illud quod ipse est, quod esse non potest. *Tertia ratio* talis est: Pater per diuinam 35  
 essentiam potest esse. Si ergo Pater genuit essentiam, tunc Pater haberet esse per id quod est generatum ab ipso, quod falsum est, quia generatum a generante habet esse, non generans a generato. Addit MAGISTER quod *simili modo probat AUGUSTINUS quod Pater non est sapiens sapientia* generata. Si enim esset sapiens per illam sapientiam 40  
 genitam, cum sit idem sapere et esse, ergo haberet esse per illud quod est ab eo, quod falsum est. Obiicit contra istam solutionem ostendendo quod genuit quod est ipse, et ita genuit essentiam, et soluit exponendo "*genuit illud quod est ipse*", *idest genuit Filium*, qui est idem cum ipso. 45

29 scilicet] *scr.*: scilicet  $\pi$  34 generet] *an scrib.* generaret?

23 Et...28 ] cf. Lomb., 80, 26 - 81, 5 30 Prima...33 substantiam] cf. Lomb., 81, 7-12 33 Secunda...35 potest] cf. Lomb., 81, 13-15 35 Tertia...42 est<sup>2</sup>] cf. Lomb., 81, 16 - 82, 3 42 Obiicit...45 ipso] cf. Lomb., 82, 4-15



Postea ipse determinat questiones alias et dicit quod *non est* concedendum quod *diuina essentia genuit Filium, quia cum Filius sit idem cum essentia diuina, sequeretur quod idem generaret seipsum*, et eadem ratione determinat quod diuina essentia non generat diuinam  
 50 essentiam. Postea obiicit in contrarium probando per multas auctoritates AUGUSTINI quod *essentia Filii est de essentia Patris et sapientia de sapientia* et diuinitas de diuinitate. Et respondet quod cum dicitur *sapientia de sapientia*, sensus est: *Filius, qui est sapientia, est de Patre, qui est sapientia*, et similiter exponende sunt alie. Obiicit autem  
 55 ad hoc per auctoritates HILARII ostendendo quod natura Filii est nata de Patre, et soluit quod natura est nata, idest *nascendo* accepta, uel Filius, qui est eiusdem nature cum Patre, est natus e Patre.

π29vb Ultimo obiicit quod diuina | generat Filium, ostendendo per multas auctoritates quod Pater genuit Filium de sua substantia, item  
 60 ostendendo quod Filius est eiusdem nature cum Patre. Et respondet MAGISTER quod auctoritates iste sunt exponende; sensus enim est quod Pater genuit Filium de sua substantia, idest genuit *non de nichilo*, sed genuit talem qui est eiusdem nature cum illo. Hanc expositionem confirmat per multas auctoritates. Addit etiam quod Filius ideo  
 65 dicitur *Filius natura*, non per adoptionem habens naturam eandem cum Patre. Et in hoc terminatur sententia in speciali.

### Questio prima

#### Vtrum essentia generet aut generetur

46 Postea...50 essentiam] cf. Lomb., 82, 16-22 50 Postea...52 sapientia<sup>2</sup>] cf. Lomb., 82, 23 - 83, 3 52 Et...54 alie] cf. Lomb., 83, 4-23 54 Obiicit...57 Patre<sup>2</sup>] cf. Lomb., 83, 24 - 84, 33 58 Ultimo...60 Patre] cf. Lomb., 85, 1 - 87, 9 60 Et...64 auctoritates] cf. Lomb., 87, 11 - 88, 25 64 Addit...66 Patre] cf. Lomb., 88, 26-31 1.5.1,2 Vtrum...generetur] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 5, 1, 1

[1] Circa distinctionem istam consuevit queri utrum essentia generet aut generetur, et utrum Filius possit dici esse de substantia Patris aut de nichilo. Quantum ad primum uidetur quod essentia generet, quia *sicut se habet essentia ad Personam, ita Persona ad essentiam, set attributa essentie predicantur de Persona, ut 'creare' et huiusmodi; dicimus enim "Pater creat"; ergo actus Persone possunt attribui essentie dicendo quod essentia generat.* 5 10

[2] Item *maior est oppositio affirmationis et negationis quam relationis; set oppositio relatiua causat indistinctionem Personarum; ergo multo fortius hoc faciet oppositio contradictionis. Si ergo Persona generet et essentia non generet, essentia et Persona different personaliter, quod est falsum.* 15

[3] In contrarium arguitur quia omne quod generat distinguitur a genito; set essentia a nullo distinguitur in diuinis; ergo essentia non generat.

[4] Responsio. Actus generandi potest attribui dupliciter alicui: uno modo tanquam ei quod generat, et hoc est suppositum (actiones enim sunt suppositorum ut eorum que agunt); alio modo tanquam principio quo generans generat, sicut calefacere attribuitur igni ut ei quod agit et calori ut principio quo ignis calefacit. 20

[5] Si primo modo intelligitur questio utrum essentia diuina sit illud quod generat, sicut uidetur iutelligi, quia hunc sensum immediate pretendunt termini questionis, sic non uideo quod habeat difficultatem secundum ea que dicta sunt in precedenti questione, 25

---

1.5.1,13 generet] an scrib. generaret? 14 generet] an scrib. generaret? | different] an scrib. different?

---

7 sicut...10 generat] cf. Thom., Super Sent., I, 5, 1, 1, arg 5 (151) 11 Item...15 falsum] cf. Thom., Super Sent., I, 5, 1, 1, arg 1 (150-151)

quia generatio nulli competit tanquam ei quod generat nisi supposito;  
 set essentia diuina uel diuinitas, quod idem est, non includit aliquo  
 30 modo suppositum, ut prius dictum est; ergo nullo modo essentia  
 diuina est id quod generat.

[6] Quantum autem ad eos qui dicunt quod Persona et essentia nullo  
 modo realiter differunt seu ex natura rei, set solum secundum  
 rationem, difficultatem habet, quia sola differentia rationis non  
 35 potest facere differentiam nisi respectu predicati rationis, non rei; set  
 generare non est predicatum rationis, set rei (alioquin generatio non  
 esset realiter in diuinis); ergo differentia Persone et essentie, si sit  
 solum secundum rationem, non potest esse sufficiens causa quare  
 generare competat Persone et non competat eodem modo essentie.

40 [7] Et ideo tenentes hanc uiam addunt tanquam *a ueritate coacti* quod  
 quando aliqua sunt idem re nec unum importat aliam rem quam  
 alterum, nec distinctionem ab alia re a qua non importat  
 distinctionem alterum, tunc est uerum quod quicquid dicitur de uno  
 dicitur de altero si sit predicatum reale. Nunc est ita quod licet Pater  
 45 et essentia diuina sint penitus idem re, tamen Pater distinguitur  
 realiter ab aliquo a quo non distinguitur essentia, scilicet a filio;  
 propter quod non oportet quod quicquid realiter dicitur de Patre,  
 precise quod ad distinctionem pertinet, ut est 'generare', quod hoc  
 conueniat essentie diuine.

50 [8] Set istud non ualet, quia eque difficile est quod nunc assumitur,  
 sicut illud quod defenditur eque difficile uel impossibile est, quando  
 aliqua sunt penitus idem re, quod unum realiter differat ab aliquo a  
 quo non differt realiter alterum, sicut quod aliquod predicatum reale  
 dicatur de uno quod non dicatur de alio. Si enim illa que sunt unum

---

40 a...coacti] cf. Arist., *Phys.*, I, 5, 188b29-30; *Metaph.*, I, 3, 984b10

et idem in tertio sunt necessario unum et idem inter se, illo modo 55  
 fortiori ratione que sunt omni modo unum et | et idem generaliter  $\pi$ 30ra  
 inter se sunt omni modo unum et idem respectu cuiuscunque tertii,  
 siue quo ad conuenientiam et affirmando, siue quo ad differentiam et  
 negando. Et ideo semper remanet quo ad istos difficultas et quasi  
 impossibilitas respondendi quomodo si Pater et essentia sunt idem 60  
 penitus re, aliquid reale conuenit Patri, quod non conuenit essentie,  
 ut generare, aut quomodo distinguitur Pater realiter a Filio, a quo  
 realiter non distinguitur essentia.

[9] Ponentibus autem quod Persona ratione relationis ipsam  
 constituentis differt realiter aliquo modo uel ex natura rei ab essentia, 65  
 nichil horum occurrit.

[10] Si autem questio intelligatur secundo modo, scilicet utrum  
 generare competit essentie diuine tanquam principio quo, ita quod sit  
 illud quo Pater generat, sic questio ista est eadem cum illa qua  
 queritur utrum potentia generandi dicat substantiam an relationem. 70

[11] Et quia de hoc dicetur infra distictione 7<sup>a</sup>, ideo ad presens  
 supersedeatur. Simili modo dicendum est de hac questione utrum  
 essentia generetur, quia sicut in generante est considerare duo,  
 scilicet illud quod agit et principium quo agit, sic in genito est  
 considerare duo, scilicet illud quod terminat generationem et illud 75  
 quo formaliter terminat eam, et hec sibi inuicem correspondent, quia  
 sicut id quod generat est suppositum cuius est agere, quo autem  
 generat est aliquid existens in supposito, sic illud quod generatur per  
 se est suppositum cuius est esse, quo autem formaliter terminatur  
 generatio est aliquid in supposito genito et non suppositum 80  
 secundum se totum. Ex quo patet quod sicut essentia non est quod

---

58 siue<sup>1</sup>] *scr.*: sine  $\pi$  64 Persona] *omi.*: personæ  $\pi$

generat, sic nec illud quod generatur et per eandem rationem. Vtrum autem essentia sit illud quo formaliter generatio terminatur, eadem difficultas est cum illa utrum essentia sit principium quo Pater  
85 generat, quia principium et terminus generationis uidentur sibi inuicem proportionabiliter correspondere. Sicut enim ignis calefacit calore ut principio quo agit, ita calefactum terminat calefactionem calore recepto, non eodem secundum numerum, set secundum speciem. Et ideo si essentia est principium quo Pater generat, erit  
90 etiam terminus quo Filius generationem terminat, si uero non, non. Primum autem declarabitur infra distinctione 7<sup>a</sup>, ut dictum est, quo declarato erit declaratum quod nunc queritur; ideo nunc dimittitur.

[12] Ad primum argumentum dicendum quod maior est falsa, quia aliter se habet Persona ad essentiam et aliter essentia ad Personam.  
95 Persona enim includit essentiam et ob hoc omnia attributa essentie conueniunt Persone, nisi repugnent proprietati per quam Persona formaliter constituitur, ut sunt esse indistinctum, esse communicabile et huiusmodi; set essentia in suo signato uel nomine nullo modo includit Personam, propter quod attributa Persone que  
100 conueniunt ei secundum illud quod est formaliter Persona, nullo modo conueniunt essentie, ut generare, spirare et similia.

[13] Ad secundum dicendum quod oppositio affirmationis et negationis est maxima secundum continentiam uniuersalitatis, quia in omnibus oppositionibus includitur; quodlibet enim oppositum  
105 includit negationem sui oppositi, set non est maxima quantum ad suum fundamentum cum quandoque fundetur super solam differentiam rationis, et ubi fundatur super realem differentiam, sufficit propter ipsius oppositionis latitudinem qualiscunque realis

---

86 proportionabiliter] *scr.*: proportiouabiliter  $\pi$  98 signato] *an scrib.* significato?

differentia, qua unum non sit aliud; set relatiua oppositio realis, si sit  
 oppositio originis, ex necessitate requirit realem diuersitatem, quia 110  
 realis est, et diuersitatem suppositorum, quia est relatio originis.  
 Origines enim actiue et passiue accepte respiciunt realiter opposita.

Questio secunda 115

Vtrum Filius sit de substantia Patris

[1] Secundo queritur utrum Filius sit de substantia Patris. Et uidetur  
 quod non, quia `de` dicit habitudinem materie uel quasi materie; set  
 substantia uel essentia diuina non est materia uel quasi materia 5  
 generationis Filii; ergo Filius non est nec generatur de substantia  
 Patris. Maior patet, set minor probatur multipliciter. | Primo sic: π30rb  
 illud quod est materia uel quasi materia in generatione est subiectum  
 forme communicate genito a generante; set essentia uel substantia  
 non est subiectum alterius forme communicate Filio a Patre (nichil 10  
 enim communicat Pater Filio per generationem nisi substantiam  
 suam, que non subiicitur sibiipsi); ergo essentia diuina non est  
 subiectum in generatione.

[2] Item subiectum in generatione dici potest fieri hoc uel tale sicut  
 in alteratione, que est generatio secundum quid, ut cum aqua calefit, 15  
 aqua potest dici fieri calida, licet non possit dici fieri absolute et  
 simpliciter. Similiter in generatione simpliciter materia potest dici fieri  
 formata, licet non possit dici fieri simpliciter et absolute; set in  
 generatione diuina essentia non potest dici fieri esse cum quacunque  
 additione secundum quodcunque adueniens absolutum uel relatum, 20

---

1.5.2.1 Vtrum...Patris] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 5, 2, 1; *S.th.*, I, 41, 3

non absolutum, quia nullum tale est in diuinis adueniens essentie nec relatum, quia essentia non dicitur fieri relata; ergo essentia nullo modo est subiectum in generatione diuina.

[3] Tertio sic: quod principium producat materiam uel  
25 quasi materiam, hoc <est> ex imperfectione eius; set Pater generans  
Filius est perfectissimum agens; ergo non requirit aliquid quod sit  
materia uel quasi materia.

[4] In contrarium arguitur quia aut Filius generatur de aliquo aut de  
nullo, non de nullo, quia si sic crearetur, ergo de aliquo; set non esset  
30 uerus Deus; ergo de substantia propria .

[5] Item quando aliquid est de alio et est ei consubstantiale, potest  
dici esse de eius substantia; set Filius est a Patre et est ei  
consubstantialis; ergo est de eiusdem substantia.

[6] Responsio. In modo loquendi sic consueuimus dicere quod esse  
35 de aliquo est esse de aliquo preexistente et permanente in re facta.  
Vnde cum in creaturis nichil preexistens maneat in re facta nisi  
materia, in eis nichil proprie dicitur esse de aliquo nisi materialiter  
accipiendo, sicut dicimus cutellum esse uel fieri de ferro, et sic de  
similibus; propter quod in diuinis id quod habet rationem materie uel  
40 quasi materie est illud de quo est generatio et res generata.

[7] Set aduertendum est quod cum generatio non sit uniuoce in  
diuinis et in creaturis, non est querenda uniuocatio totalis hic et ibi  
quantum ad illud de quo est generatio et etiam quantum ad alia que  
sunt in generatione, set sufficit inuenire similitudinem competentem  
45 quantum ad ea que imperfectionem non includunt.

---

1.5.2,25 est] *suppl.*: om.  $\pi$  27 materia<sup>2</sup>] *huc transposui*: post ergo  $\pi$  38 cutellum]  
*sc.*: cultellum  $\pi$

[8] Et secundum hoc potest dici quod Filius generatur et est de substantia Patris, ita quod illa prepositio `de` dicit circumstantiam materie uel quasi materie. Quod patet primo sic: illud quod secundum nostrum modum intelligendi preexistit Filio producendo et inexistit iam producto se habet ad Filium ut de quo iam Filius est (hoc patet ex precedentibus); et hec est conditio materie, que non pertinet ad aliquam imperfectionem; set substantia Patris secundum modum intelligendi preexistit Filio generando et et inexistit filio genito; ergo etc. 50

[9] Secundo sic: quodocunque aliquid constituitur ex pluribus, oportet quod unum illorum se habeat secundum rationem materia et perfectibiliter, et alterum secundum rationem quasi actus perficientis; set Filius constituitur ex essentia et proprietate relatiua; ergo oportet quod alterum istorum se habeat quasi in ratione materie et alterum quasi in ratione actus; inter hec autem essentia magis uidetur se habere in ratione materie quam relatio, quia intelligitur quasi substare relationi et non econuerso; quod autem habet rationem materie est illud de quo est generatio; quare etc. 55 60

[10] Tertio sic: illud est subiectum uel quasi subiectum in generatione quod recipit formam geniti; set essentia diuina recipit in se formam per quam constituitur genitum, scilicet proprietatem relatiuam; ergo ipsa est subiectum et materia de qua est generatio. 65

[11] Sunt autem alique conditiones materie que nullo modo conueniunt diuine essentie, nec sunt in generatione diuina querende, quia pertinent ad imperfectionem que omnino relegatur a diuinis, sicut quod ipsa est pura potentia | et fit actu per aliquam formam absolutam sibi aduenientem, item quod transmutatur de priuatione in formam et quod acquirendo unam formam amittit aliam et huiusmodi. 70 π30va



75 [12] Ad primum argumentum dicendum quod ad rationem materie  
 uel quasi materie in generatione sufficit quod aliquo modo substet  
 forme geniti, siue illa forma sit communis genito et generanti  
 communitate rei uel rationis specificice siue non; modo in generatione  
 Filii, licet Pater non communicet Filio formam sibi et Filio  
 80 communem, essentiam a Patre, tamen nisi in Filio, non est solum  
 essentia, set relatio cui tanquam forme, large loquendo de forma,  
 aliquo modo substantia essentia.

[13] Ad secundum dicendum quod subiectum generationis dicitur  
 fieri hoc uel tale, ubi terminus sub quo fit subiectum est aliquid  
 85 absolutum; sic autem non est in diuinis.

[14] Ad tertium dicendum quod imperfectionis est in agente quod  
 requirat materiam extra se, set quod agens in se aliquid habeat quod  
 alteri communicet et nichilominus teneat aliquo modo rationem materie  
 non est imperfectionis, set perfectionis; et sic Pater communicat  
 90 Filio essentiam suam, que aliquo modo in generatione habet locum  
 materie.

[15] Argumenta alterius partis concedantur ratione conclusionis.  
 Propter tamen primum aduertendum est quod nullo modo est  
 dicendum quod Filius sit de nichilo, quia esse de nichilo est non  
 95 habere in se aliquid quod non sit ab alio productum, ita quod sibi  
 derelictum cederet in nichil. In Filio autem est essentia diuina que  
 non ab alio producta, Filius etiam nullo modo potest non esse, set  
 necessario est. Et ideo ei non competit esse de nichilo, set est de  
 substantia Patris modo quo dictum est.

100

---

85 autem] *om.*: aut  $\pi$

## Sententia distinctionis sexte in generali et speciali

*Preterea queri solet* etc. Superius MAGISTER mouit questiones circa generationis subiectum uel terminum, hic mouet quandam questionem circa generationis modum. Et diuiditur ista pars in tres: 5  
primo mouet questionem et determinat eam; secundo remouet quandam obiectionem; tertio exponit predictam determinationem. Secunda incipit ibi: *Contra hoc opponitur*. Tertia ibi: *Predicta tamen uera*. Prima diuiditur in tres partes: primo mouet questionem; secundo eam determinat; tertio ex terminatione quandam errorem excludit. 10  
Secunda ibi: *Nec uoluntate nec neassitate*. Tertia ibi: quo contra ait AUGUSTINUS. Hec est sententia MAGISTRI in generali.

In speciali uero sic procedit MAGISTER et querit primo *utrum Pater genuit Filium neassitate uel uoluntate*. Et respondet quod *nec uoluntate nec neassitate*: neassitate non, quia *neassitas non est in Deo*, nec 15  
uoluntate, quia sic *uoluntas* prederet *sapientiam*, idest Filium, qui est sapientia (generans enim procedit genitum). Deinde errorem EUNOMII excludit dicens quod male dixit EUNOMIUS, qui artibus dialecticis deceptus ponit Filium esse genitum uoluntate, intelligens, 20  
et male, uoluntatem generandi Filium Patri accessisse de nouo, quod esse non potest; sequeretur enim Deum esse mutabilem. Confirmat autem hoc, quia argumentum hereticorum non est efficax. Opponit enim hereticus: "Pater aut uolens aut nolens genuit Filium; si nolens, ergo miser est; si uolens, ergo uoluntate genuit Filium". Et dicit

---

3 *Preterea...solet*] Lomb., 89, 4 | *Superius*] cf. Lomb., 77, 21 - 88, 31 | 8  
*Contra...opponitur*] Lomb., 90, 6 | *Predicta...uera*] Lomb., 90, 24 | 11  
*Nec...neassitate*] Lomb., 89, 6-7 | 13 *querit...17 genitum*] cf. Lomb., 89, 4-8  
| 18 *male...21 mutabilem*] cf. Lomb., 89, 8-16 | 21 *Confirmat...28 Filium*] cf. Lomb., 89, 17 - 90, 5

25 MAGISTER quod hoc non cogit, quia sic potest opponi: "Pater aut  
 uolens aut nolens est Deus; si nolens, miser est; si uolens, ergo  
 uoluntate est Deus, non natura", quod falsum est. Vnde concludit  
 quod Pater nec nolens nec uolens genuit Filium. Postea quandam  
 obiectionem remouet. Obiectio talis est: "Cum in diuinis idem sit  
 30 natura et uoluntas, si Pater genuit natura Filium, ergo et uoluntate".  
 Et respondet dicens quod licet in diuinis natura et uoluntas sint idem  
 re in Deo, differunt tamen ratione uel connotato. Vnde sicut scientia  
 Dei se extendit respectu malorum, uoluntas autem non et tamen  
 scientia et uoluntas in Deo sunt idem, ita etiam aliquid conuenit  
 35 nature Dei quod non conuenit uoluntati, licet sint idem in Deo.  
 Vltimo dicit quod Pater genuit Filium uoluntate communicante  
 generationem, non precedente uel antecedente de nouo. Et in hoc  
 terminatur sententia lectionis in speciali.

40

#### Questio prima

#### Vtrum Pater genuerit Filium necessitate

[1] Circa distinctionem istam queruntur duo. Primum est utrum  
 5 Pater genuerit Filium necessitate an uoluntate. Secundum est utrum  
 genuerit Filium natura. Ad primum sic proceditur et arguitur quod  
 Pater non genuit Filium necessitate, quia quod gratis datur non datur  
 ex necessitate; set secundum RICARDUM De Trinitate Pater

---

28 Postea...35 Deo] cf. Lomb., 90, 6-22 | 36 Pater...37 nouo] cf. Lomb., 90,  
 23 - 91, 6 | 2 Vtrum...necessitate] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 6, 1, 1 (165-167);  
*S.th.*, I, 41, 2 | 7 quod...8 necessitate] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 17, 1, 2, 3, 1  
 | 8 Pater...10 gratuitum] cf. Ricard. de S. Victore, *De Trin.*, V, 17 (ed. J.  
 Ribailier, 215, 4 - 216, 25)

quicquid dat Filio uel Spiritui Sancto dat secundum amorem  
gratuitum; ergo non necessario; set per generationem Pater dat Filio 10  
quicquid Filius habet; ergo Pater non necessario generat.

[2] Item AUGUSTINUS Ad Orosium: *Nec uoluntate Pater genuit  
Filium*. Et HILARIUS De synodis dicit quod *non naturali necessitate  
ductus Pater genuit Filium*.

[3] In contrarium arguitur, quia si Pater non necessario genuit, potuit 15  
non generare et per consequens Filius potuit non esse; hoc autem est  
impossibile; ergo et primum. Consequentia patet, quia `non necesse`  
et `possibile non` equipollent.

[4] Responsio. *Necessarium dicitur multipliciter*: est enim necessitas 20  
uolentie et coactionis, ut cum lapis proiicitur sursum, necessitatur ad  
ascensum; alia est necessitas expedientie ex suppositione finis, sicut  
uolenti ire ultra mare necesse est habere nauem (et his duobus modis  
sumitur necessarium ex causis extrinsecis, que sunt agens et finis); et  
tertia necessitas, scilicet immutabilitatis, que sumitur ex causis 25  
intrinsecis uel ex aliquo quod est de essentia rei, sicut necesse est  
hominem esse rationalem ratione forme uel corruptibilem ratione  
materie. Principia autem intrinseca ad que sequitur talis necessitas  
quandoque sunt causata actiue ab alio, sicut est in omnibus citra  
Deum; et ideo sicut in eis principia rei dependent ab alio, ita et 30  
necessitas consequens principia, propter quod in his non est  
necessitas secundum potissimum gradum necessitatis. In Deo autem

---

1.6.1,28 citra] *coni.*: circa  $\pi$

12 Nec...13 Filium] cf. Ps.-Aug., *Dialog. quest.* 65, 7 (PL 40, 736, 63 - 737, 5) |  
13 non...14 Filium] Hilar., *De synodis*, 38 et 58 (PL 10, 512A et 520C) | 19  
Necessarium...33 necessitas] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 6, 1, 1 (166); Arist.,  
*Metaph.*, V, 5, 1015a20-b15

nichil est quod ab alio dependeat; et ideo necessitas immutabilitatis que in Deo est summa est et prima necessitas.

[5] Dicendum ergo cum queritur utrum Pater genuerit Filium ex  
 35 necessitate, quod si loquamur de prima necessitate, que est  
 coactionis, quod talis nullo modo cadit in Deo. Quod patet  
 dupliciter: primo, quia necessitas coactionis est a potentiore, set Deo  
 nichil est potentius, ergo etc.; secundo, quia necessitas talis non est in  
 cognoscentibus sine tristitia, V *Metaphisice*, set tristitia non  
 40 cadit in Deo, ergo nec talis necessitas.

[6] Si autem loquamur de necessitate secundo modo dicta, que est  
 necessitas expedientie ex suppositione finis, sic dicendum quod talis  
 necessitas non est in Deo quo ad actus interiores, qui non transeunt  
 in creaturam; potest tamen in Deo esse quo ad actus qui in  
 45 creaturam transeunt. Primum patet sic. Si actus manentes in Deo,  
 siue essentielles siue notionales, fierent ex suppositione alicuius finis,  
 aut ille finis esset in diuinis aut in creaturis; set neutrum horum  
 potest esse, ergo etc. Probat minor, quia *finis* potior est *his que sunt*  
*ad finem*; set nichil quod sit in creaturis potest esse potius his que sunt  
 50 in diuinis, imo nec eque bonum, in diuinis etiam non est gradus  
 bonitatis ut unum sit potius altero; ergo nichil est in diuinis nec in  
 creaturis, ad quod tanquam ad finem ordinentur actus diuini intra  
 manentes. Cum ergo generatio Filii sit actus manens in diuinis, patet  
 quod Pater non genuit necessitate que est ex suppositione finis.

[7] Secundum sic patet, quia licet Deus et ea que in Deo sunt non  
 55 ordinentur ad aliud tanquam ad finem, tamen actus diuini  
 transeuntes in materiam exteriorem et res per eos producte habent

---

38 necessitas...39 tristitia<sup>1</sup>] cf. Arist., *Metaph.*, V, 5, 1015a28-30; Thom., *In*  
*Metaph.*, V, 6, §830 | 48 finis...49 finem] cf. Arist., *Top.*, III, 1, 116b22-23;  
*Phys.*, II, 3, 195a24-25; *Auct. Ar.*, 36, 44 (324, 50)

inter se ordinem finis et eorum que sunt et eorum que sunt ad finem; propter quod inter hec inuenitur dicta necessitas, ut si dicamus quod si Deus uelit producere creaturam capacem beatitudinis, necesse est quod producat eam intellectualem. Talis enim finis nullo modo potest haberi nisi a creatura habente talem formam. Et ideo in istis inuenitur necessitas suppositionis. 60

[8] Loquendo autem de necessitate tertio modo dicta, que est necessitas immutabilitatis, dicendum quod Pater summa necessitate genuit Filium. Quod patet, quia productio | que est per modum nature nec impediri potest nec a contrario predominante nec a superiore principio influentiam subtrahente, est summe necessaria; set generatio Filii in diuinis fit per modum nature et a principio naturaliter agente, quia generatio est opus nature nec impediri potest a contrario predominante nec a superiore principio influentiam subtrahente, quia Pater generans est primum principium simpliciter et uirtus eius infinita; ergo generatio Filii est summe immutabilis et necessaria. Minor patet, set maior declaratur, quia principium naturale agens modo nature agit, quantum est de se, ex necessitate nature. Et ideo si impediri non potest in agendo nec contrario predominante nec a superiore subtrahente influentiam, actio eius erit simpliciter necessaria, maxime quando principium quod sic agit habet in se totum quod ad actionem requiritur, quia si non habet, set requireret aliquid extrinsecum tanquam materiam uel aliquid tale, ex defectu illius posset actio impediri non obstante concursu omnium aliarum conditionum; set nichil tale extrinsecum requirit Pater in generatione Filii; ergo etc. 65  
π31ra 70 75 80

[9] Aliter declarat QUIDAM hanc eandem conclusionem sic. Actus diuini sunt in duplici differentia: quidam enim transeunt materiam exteriorem realiter, sicut creare uel gubernare, et contingentia uel 85

libertas in his, puta quod Deus producat creaturam uel non producat, nullam mutabilitatem arguit in Deo, set solum in re creata; alii sunt actus intrinseci, de quorum numero est generatio, et contingencia in  
 90 istis arguit possibilem mutationem in Deo. Cum ergo mutatio in Deo sit penitus impossibilis, et contingencia in istis est omnino impossibiliter, set est in eis mera necessitas.

[10] Set contra hunc modum dicendi est instantia quorundam, quia uelle in Deo est actus intra manens et non transiens extra; et tamen  
 95 non quicquid Deus uult de necessitate uult, set multa uult libere; ergo non omnes actus intra manentes sunt simpliciter necessarii nisi facta suppositione quod sint; tunc enim impossibile est eos non inesse, sicut supposito quod Deus uelit aliquid, impossibile est quod prius noluerit aut quod in posterum possit non uelle, quia sequeretur  
 100 mutatio in Deo, simpliciter autem et absolute potest illud non uelle, quia non est necessaria habitudo uoluntatis diuine ad tale uoliturum, et eodem modo diceretur quod supposito quod Pater genuerit Filium, necessarium est eum genuisse, simpliciter autem et absolute non. De hac autem necessitate nunc querimus.

105 [11] Hec autem instantia non bene procedit, quia quamuis uelle diuinum non sit necessario de quolibet uolito, tamen omne uelle diuinum est necessario in Deo nec in Deo est libertas seu contingencia respectu actus uolendi, quamuis in eo sit libertas seu contingencia actus uolendi respectu aliquorum obiectorum, sicut  
 110 magis declarabitur infra distinctione 44<sup>a</sup>.

[12] Ad primum argumentum de amore gratuito dicendum quod in

---

95 necessitate] *scr.*: necessita  $\pi$

---

108 in...109 obiectorum] cf. infra, I, 44, 1-4 (115rb-117ra); immo, I, 39, 1 (105vb-106va)

amore gratuito sunt duo: primum est mera liberalitas, et quantum ad hoc non est amor gratuitus in generatione Filii, set est ibi absoluta necessitas immutabilitatis; secundum est quod dat sine retributione, et quantum ad hoc est ibi amor gratuitus, quia Pater per generationem dat Filio et nichil accipit ab ipso. 115

[13] AUGUSTINUS autem et HILARIUS in dictis suis excludunt a generatione diuina necessitatem coactionis, non autem necessitatem immutabilitatis, de qua procedit argumentum ad alteram partem. Et ideo in hoc sensu concedatur. 120

### Questio secunda

#### Vtrum Pater genuerit Filium natura an uoluntate

[1] Ad secundum sic proceditur et arguitur quod Pater non genuerit Filium natura, quia Pater eo est Pater quod genuit; set Pater non est Pater natura; ergo non genuerit filium natura. Maior patet, quia paternitas est relatio ex generatione consurgens, minor probatur per AUGUSTINUM VII De Trinitate capitulo 9<sup>o</sup>, ubi dicit quod Pater non eo est Pater quo Deus, set est Deus natura, ergo non est Pater natura. 5 10

| [2] Item natura et uoluntas sunt unum et idem in Deo; set Pater non genuit Filium uoluntate secundum AUGUSTINUM; ergo nec natura. π31rb

2 Vtrum...uoluntate] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 6, 1, 2-3 (167-170) | 9 Pater<sup>1</sup>...10 natura] cf. Aug., *De Trin.*, VII, 4, 9 (260, 141-150) | 11 Pater...12 uoluntate] cf. Ps.-Aug., *Dialog. quaest.* 65, 7 (PL 40, 736, 63 - 737, 5)



[3] Item tantum conueniunt uoluntas et natura in Deo quantum  
 15 natura et intellectus; set illud quod procedit per modum uoluntatis,  
 ut Spiritus Sanctus, non dicitur procedere natura uel per modum  
 nature; ergo illud quod procedit per modum intellectus, ut Filius, qui  
 est Verbum, non debet dici procedere natura uel per modum nature.

[4] Ad oppositum ad quod dicit HILARIUS libro *De synodis*, ubi  
 20 dicit quod *omnibus creaturis substantiam Dei uoluntas attulit, Filio uero  
 natura dedit*, et AUGUSTINUS XV *De Trinitate* dicit *Verbum per  
 quod omnia facta sunt esse Filium Dei natura*.

[5] Responsio. Ad uidendum quomodo Filius procedat per modum  
 nature et Spiritus Sanctus procedat per modum uoluntatis,  
 25 proceditur sic, quia primo excluditur ymaginatio QUORUNDAM non  
 bona circa hoc et secundo declarabitur ueritas questionis. Quantum  
 ad primum sciendum quod QUIDAM ymaginantur quod Filius  
 producat per actum intellectus (propter quod dicitur Verbum,  
 quod est terminus operationis intellectualiter per ipsam productus),  
 30 Spiritus autem Sanctus per actum diligendi, unde Amor est. Ex quo  
 statim patet quare Filius dicitur produci per modum intellectus et  
 Spiritus Sanctus per modum uoluntatis, quia per actus harum  
 potentiarum producuntur; set quare Filius dicatur procedere per  
 modum nature, non autem Spiritus Sanctus, dicunt quod hec est  
 35 causa, quia id quod procedit ab alio accipiendo naturam et  
 proprietates nature et modo nature, illud procedit per modum  
 nature, set Filius procedit a Patre accipiendo naturam et proprietates  
 nature et modo nature; non sic autem per omnia procedit Spiritus  
 Sanctus ab utroque; ergo etc. Minor declaratur sic: modus naturalis

---

20 omnibus...21 dedit] Hilar., *De synodis*, 58 (PL 10, 520C) | 21 Verbum...22  
 natura] Aug, *De Trin.*, XV, 20, 38 (515, 3-4) | 27 quidam...39 etc] cf. Thom.,  
*Super Sent.*, I, 6, 1, 3, sol. (169); *S.th.*, I, 27, 2 et 4

productionis est producere aliquid per uiam assimilationis, unde 40  
*natura* dicitur *uis insita rebus* ex similibus similia procreans; Pater  
autem producit Filium per uiam assimilationis; producit enim ipsum  
per operationem intellectualem de cuius ratione est quod Verbum  
productum similitudinem sit intellectui informato specie rei. Non sic  
autem est de Spiritu Sancto, quia licet Spiritus Sanctus sua 45  
processione a Patre et Filio accipiat naturam et proprietates nature,  
tamen de ratione processionis sue non est quod sit per uiam  
assimilationis, qui est modus nature; non enim est de ratione eius  
quod producitur per uoluntatem quod sit simile producenti; potest  
enim esse simile uel dissimile illud quod per uoluntatem producitur; 50  
et ideo Spiritui Sancto, cum per actum uoluntatis procedit, non  
procedit per modum nature.

[6] Illud autem non uidetur bene dictum. Quod enim Filius  
producat in diuinis per actum intellectus et Spiritus Sanctus per  
actum uoluntatis non potest intelligi nisi dupliciter: uno modo quod 55  
isti actus sint ipse productiones Personarum; alio modo quod sint  
principia productionum, sicut calor manus dicitur produci ab igne  
per calorem et per calefacere, set per calefacere tanquam per  
productionem, per calorem uero tanquam per principium  
productionis. 60

[7] Primum non potest dici, scilicet quod intelligere et uelle sint  
actiue productiones Personarum propter tria. Primum est quia  
productiones Personarum secundum omnes sunt actus notionales et  
non essentielles; set intelligere et uelle sunt actus essentielles et non  
notionales; ergo non sunt ipse productiones. Vtraque propositionum 65  
per se nota est.

---

41 natura...procreans] cf. Guill. de Conchis, *Dragmaticon Phil.*, I, 7, 3 (30, 28-29)

[8] Secundo, quia cuicumque conuenit actus per quem Persona  
 producitur, sibi competit producere Personam ad quam actus  
 terminatur, sicut cui competit generare competit producere Filium;  
 70 set intelligere et uelle competunt omnibus Personis in diuinis; ergo si  
 isti actus essent productiones Personarum, cuilibet Persone  
 competeret producere Filium et Spiritui Sancto quod est falsum.

[9] Tertio, quia productiones Personarum differunt realiter; set  
 intelligere et uelle non differunt aliquo modo realiter, nec absoluta  
 75 nec relatiua; ergo non sunt productiones.

π31va [10] | Quod autem non sint principia productionum, patet sic: illud  
 cuius conditio est opposita fecunditati non potest esse principium  
 actus quo aliquid producitur, quia omnis productio prouenit ex  
 fecunditate; set conditio actuum intelligendi et uolendi est opposita  
 80 fecunditati; ergo non possunt esse principium actuum quibus  
 Persone producuntur. Maior iam patet, set minor probatur, quia hec  
 est conditio actus intelligendi uel uolendi quod ex ipsis nichil aliud  
 constituitur seu consequitur, ut patet ex IX Methaphisice;  
 fecunditas autem est ex quo natum est alterum sequi; ergo conditio  
 85 actus intelligendi et uolendi contraria est secunditati; patet ergo quod  
 intelligere et uelle non sunt productiones Personarum nec principia  
 productionum, set exclusis a Deo per intellectum intellectu et  
 uoluntate cum omnibus actibus suis adhuc esset in diuinis generatio  
 Filii et spiratio Spiritus Sancti ita quod hec sunt in diuinis ex  
 90 fecunditate nature radicaliter, quam fecunditatem habet ex sua  
 infinitate et non ex hoc quod est intelligens et uolens.

[11] Hoc autem potest persuaderi sic: secundum idem  
 proportionaliter competit fecunditas creaturis et Deo; set fecunditas

---

81 hec...83 consequitur] cf. Arist., *Metaph.*, IX, 6, 1048b22-24

aliquid producendi competit creaturis non ex hoc quod sunt  
intelligentes et uolentes, set per aliquid aliud prius et communius. 95  
Vnde et uirtus generandi aliud inuenitur in rebus inanimatis  
carentibus intellectu, et ubi inuenitur in rebus habentibus intellectum,  
hoc non est per intelligere et uelle aut per aliquid ad hoc pertinens;  
ergo similiter est in Deo, quia licet natura Dei sit in Deo intelligens et  
uolens, ex hoc tamen nulla fecunditas inest ei ad producendum 100  
quamcunque Personam, set sicut calor ignis, si esset intelligens,  
causaret caliditatem sibi similem fecunditate nature sue sicut nunc  
facit, nec ad hoc aliquid cooperaretur suum intelligere aut uelle, sic  
natura diuina licet sit intelligens et uolens, ex infinitate sua habet  
fecunditatem quod uirtute eius Persona sit a Persona, ad quam 105  
tamen nichil intelligere aut uelle cooperatur.

[12] Item qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo  
rationis inter differentia secundum rationem; set ubi natura  
intellectus et uoluntatis differunt realiter, productio est realiter ui  
nature et non intellectus uel uoluntatis; ergo sic est in Deo, in quo 110  
ista sunt differentia solum secundum rationem.

[13] Nec ratio ALIORUM est sufficiens, quia cum dicunt quod modus  
naturalis productionis est producere per uiam assimilationis, non est  
uerum uniuersaliter, set solum in generatione mere uniuoca. Esto  
etiam quod esset uniuersaliter uerum, illud quod dicitur postea, quod 115  
Verbum productum similius est intellectui informato specie, falsum  
est, quia tunc due forme eiusdem speciei essent simul in intellectu,  
quia similitudo non est differentium secundum speciem; hoc autem  
est impossibile; quare etc. Et sic patet primum principale  
propositum. 120

---

1.6.1.2,101 quamcunque] *coni.*: quantumcunque  $\pi$

[14] Nunc restat secundum, scilicet quod declaretur ueritas questionis. Est ergo intelligendum quod cum queritur utrum Pater genuerit Filium natura, ly `natura´ potest dicere principium generationis uel modum. Si dicat principium generationis, tunc est  
 125 sensus utrum Pater genuerit Filium natura, idest utrum essentia diuina, que est natura, sit principium generationis uel utrum hoc sit proprietas relatiua; et sic non intelligitur ad presens, quia sic est eadem questio cum illa qua queritur utrum potentia generandi dicat quid uel ad aliquid, de qua queritur in sequenti distinctione; sic etiam  
 130 non haberet locum distinctio que ponitur in terminis questionis utrum Pater genuerit Filium natura an uoluntate, quia natura et uoluntas sunt in Deo eadem res absoluta nec differunt quo ad esse principium nisi propter principiandi modum, quia alius est modus quo essentia diuina principiat ut natura, si tamen aliquid sit  
 135 principians, et alius quo principiat ut uoluntas.

[15] Si autem ly `natura´ et ly `uoluntate´ dicant modum productionis, sic habet locum questio et tunc dicendum est quod in productione diuinarum Personarum est tria considerare, scilicet  
 140 habitudinem uirtutis productiue ad actum producendi, supposita producentia et ordinem productorum uel productionum.

$\pi$ 31vb [16] | Si consideretur habitudo uirtutis productiue ad actum producendi, sic nulla Persona procedit in diuinis per modum uoluntatis, set quelibet per modum nature. Cuius ratio est quia illud quod procedit a uirtute agente ex necessitate immutabilitatis et ex  
 145 uirtute determinata ad unum producitur per modum nature; set quelibet Persona diuina producitur ex necessitate immutabilitatis et uirtute determinata ad unum; ergo quelibet Persona diuina producitur per modum nature. Maior patet, quia modus nature in

hoc differt a modo uoluntatis in eliciendo actum, quia principium  
 naturale agens naturaliter non habet in potestate actum suum nec est 150  
 indifferens ad opposita, set est necessario determinatum ad unum,  
 agens autem per uoluntatem et modo uoluntario habet in potestate  
 sua agere uel non agere et est indifferens ad opposita, sicut potestas  
 rationalis. Minor sic patet, quia nec Pater habet sic in potestate  
 generare Filium ut possit generare uel non generare, nec Pater et 155  
 Filius habent sic in potestate spirare Spiritum Sanctum quod possint  
 spirare uel non spirare, set necessario Pater generat Filium et Pater et  
 Filius spirant necessario Spiritum Sanctum.

[17] Si uero consideremus supposita producentia, sic Spiritus Sanctus  
 producitur per modum uoluntatis, Filius autem per modum nature, 160  
 quia modus nature in creaturis est quod unum sit ab uno tantum et  
 non a pluribus eiusdem gradus et ordinis, quorum quodlibet esset  
 per se sufficiens ad totum perfecte faciendum; que autem fiunt per  
 uoluntatem possunt fieri a pluribus agentibus eiusdem gradus et  
 ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfecte 165  
 producendum (plures enim concurrunt moderando per uoluntatem  
 uirtutem suam, sicut patet de pluribus trahentibus nauem, ubi alter  
 ad totum sufficeret); cum ergo Filius procedat tantum ab uno,  
 Spiritus autem Sanctus a duobus, scilicet a Patre et Filio ita quod  
 eque perfecte producit unus sicut ambo nec perfectius ambo simul 170  
 quam alter, ideo Spiritus Sanctus dicitur produci per modum  
 uoluntatis, Filius autem per modum nature.

[18] Si autem attendatur ordo productorum et productionum, sic  
 Filius dicitur producere per modum intellectus, Spiritus autem

---

149 principium...151 unum] cf. Arist., *De aelo*, III, 2, 300a25-26; Thom., *In De aelo*, III, 5, 2 (243a) | 152 agens...154 rationalis] cf. Arist., *Metaph.*, IX, 2, 1046b4-9; *Auct. Ar.*, 1, 222 (134, 90-91)

175 Sanctus per modum uoluntatis. Cuius ratio est quia in ymagine creata  
 que attenditur secundum potentias et actus nature intellectualis,  
 prima emanatio est secundum intellectum, alia autem sequens, in qua  
 terminatur emanatio manens intra naturam intellectualem, est  
 emanatio pertinens ad uoluntatem. Primo enim est cognitio boni,  
 180 deinde ex hoc oritur amor boni et ibi sistit emanatio intra naturam  
 intellectualem. Et ex hoc arguitur sic: illud quod in diuinis procedit  
 prima emanatione procedit per modum intellectus ad intra, aliud  
 autem quod procedit secunda emanatione et ultima, in qua  
 terminatur omnis emanatio diuina ad intra, procedit per modum  
 185 uoluntatis, quia sic est in ymagine creata, ut dictum est; set Filius  
 procedit prima emanatione diuina, Spiritus autem Sanctus sequente  
 et ultima; ergo Filius dicitur procedere per modum intellectus et  
 Spiritus Sanctus per modum uoluntatis. Et sic intelligenda sunt que  
 dicuntur circa materiam istam de modo processiois diuinarum  
 190 Personarum, id quod uolunt uerba doctorum que uidentur insinuare  
 quod intelligere et uelle seu diligere sint rationes emanationum  
 diuinarum. Hoc enim dicunt solum secundum quandam  
 adaptationem ad ea que inueniuntur in ymagine creata.  
 [19] Ad primum argumentum dicendum quod ly `natura' aliter  
 195 accipitur cum dicitur quod Pater non est Pater natura, et cum dicitur  
 quod Pater genuit Filium natura, quia <cum> dicitur quod Pater non  
 est Pater natura, ly `natura' accipitur ibi pro essentia et non pro  
 naturali necessitate, quia Pater est Pater naturali necessitate summe  
 immutabilis, set non est Pater natura, idest essentia formaliter, imo  
 200 paternitate seu generatione actiua, quod idem est, et sic Pater est  
 Pater quia genuit, et alio est Pater formaliter, scilicet paternitate, et

---

178 intra] *coni.*: infra  $\pi$  196 cum] *suppl.*: om.  $\pi$

alio est Deus formaliter, scilicet deitate; set cum dicitur quod Pater genuit natura, ly `natura´ non accipitur ibi pro essentia, ut prius dictum fuit, set pro modo productionis naturalis, propter quod in argumento uariatur acceptio huius nominis quod est `natura´.

205

[20] | Ad secundum et tertium patet responsio per ea que dicta sunt in corpore questionis; licet enim natura intellectus et uoluntas sint unum et idem in Deo realiter loquendo, propter quod quicquid est ab uno tanquam a principio totum est ab altero, tamen modus procedendi per modum nature et per modum intellectus et per modum uoluntatis non sunt unus et idem modus, set diuersi, ut patuit in solutione questionis. Et ideo aliqua Persona procedit per modum nature uel intellectus que non procedit per modum uoluntatis et econuerso.

π.32ra

210



## Sententie septime distinctionis

*Hic solet queri a quibusdam.* Superius MAGISTER mouit questiones circa generationis subiectum et terminum et circa modum  
5 generationis. Hic mouet quasdam questiones circa generationis principium, quod est potentia generandi, et circa hoc duo facit: primo mouet questionem et eam determinat, secundo obiicit in contrarium et soluit. Secunda ibi: *Set uehementer nos mouet.* Secunda pars, in qua mouet questionem, diuiditur in duas: primo enim mouet  
10 questionem et determinat et adiungit quasdam alias obiectiones; secundo determinat. Secunda ibi: *Ita etiam cum dicitur.* Et hec est sententia lectionis <in> generali.

[2] In speciali procedit sic MAGISTER et querit primo si Filius possit generare. Et arguitur sic primo quod sic, quia *si Pater potuit generare* et  
15 Filius non, ergo Pater potest aliquid quod Filius non potest. Et respondet MAGISTER quod posse generare uel posse esse Patrem *non est aliquid eorum que subiecta sunt diuine potestati*, set est ad aliquid.

Postea arguit per AUGUSTINUM in contrarium, qui uidetur dicere quod *potuit generare, set non oportuit*, quia *immoderata esset diuina generatio*. Et respondet quod AUGUSTINUS dicere intendit quod *non est impotentia* in Filio non posse generare, *set ex proprietate* relatiua sibi conuenit hoc.

---

1.7.0,12 lectionis] *coni.*: electionis  $\pi$  | in] *suppl.*: *om.*  $\pi$  16 posse<sup>1</sup>] *coni.*: posset  $\pi$

3 Hic...quibusdam] Lomb., 91, 15-16 | Superius...5 generationis<sup>1</sup>] cf. Lomb., 77, 21 - 91, 6 | 8 Set...mouet] Lomb., 92, 6-7 | 11 Ita...dicitur] Lomb., 94, 16 | 13 querit...17 aliquid<sup>2</sup>] cf. Lomb., 91, 15 - 92, 5 | 18 Postea...20 generatio] cf. Lomb., 92, 6 - 93, 7 | 20 Et...22 hoc] cf. Lomb., 93, 8-17

Postea querit *utrum Pater, si sit potens generare, an hoc sit aliqua potentia que non sit in Filio*. Et respondet quod Pater est potens natura generare Filium et quod Filius habet eandem potentiam qua potest gigni, quam habet Pater qua potest generare. 25

Et querit *utrum potentia generandi que est in Patre sit in Filio*. Et respondet MAGISTER quod potentia generandi non tantum dicit naturam, set proprietatem; referendo ergo intellectum ad proprietatem non est potentia generandi in Filio, quia aliud est posse generare et aliud posse generari, referendo uero ad naturam idem sunt. 30

Vltimo hoc idem declarat ulterius, scilicet quomodo potentia generandi sit in Filio, quia in eo est potentia qua potest generari. Et in hoc terminatur sententia in speciali. 35

### Questio prima

#### Vtrum in diuinis sit potentia generandi

[1] Circa distinctionem istam tria queruntur: primum est *utrum in diuinis sit potentia generandi*; secundum est *quid sit, utrum substantia an relatio*; tertio *utrum sit in Filio*. Ad primum sic proceditur et arguitur quod in Deo non sit potentia generandi, quia omnis potentia est actiua uel passiu; set potentia passiu, cum sit imperfecta, de se non est in Deo, actiua uero licet sit in Deo respectu 5

---

31 referendo] Referendo  $\pi$

23 Postea...26 generare] cf. Lomb., 93, 19 - 94, 15 | 33 Vltimo...34 generari] cf. Lomb., 94, 16-31 | 2 Vtrum...generandi] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 1, 1 (175-178)

10 creaturarum, non uidetur tamen quod possit esse in Deo respectu  
 diuinorum, quia potentia actiua est principium transmutandi uel  
 producendi aliud ut aliud; set in diuinis non est aliud ut aliud (*Pater*  
 enim *non est aliud a Filio* secundum AUGUSTINUM in Homilia  
 super illud IOANNIS: *Qui non intrat per ostium*, et in quodam sermone  
 15 de Trinitate); ergo in Deo respectu diuinorum non est aliqua potentia  
 actiua nec potentia generandi nec alia.

[2] Item omnis potentia est respectu alicuius possibiliter; set in Deo  
 nichil est possibile, set est totum necessarium; ergo in Deo respectu  
 diuinorum nulla est potentia nec generandi, nec alia.

20 [3] In contrarium arguitur quia omne generans generat per aliquam  
 potentiam; set in diuinis Pater generat Filium; ergo in Patre est aliqua  
 potentia generandi.

$\pi$ 32rb [4] Responsio. Dicenda sunt duo: primum est quod in | diuinis est  
 potentia generandi; secundum est quod illa potentia non dicitur  
 25 uniuoce cum potentia generandi, que est in creaturis. Primum patet  
 sic: ubicunque sunt plura realiter differentia quorum unum est  
 productiuum alterius, ibi est uere et realiter potentia productiua; set  
 in diuinis Pater et Filius differunt realiter et Filius est a Patre  
 productus per generationem; ergo in Patre est uere et realiter  
 30 potentia productiua Filii per generationem; set hoc est potentia  
 generandi; ergo etc. Maior patet ex ratione potentie actiue uel quasi  
 actiue, que sola ponitur in diuinis: est enim potentia actiua

---

1.7.1,13 Homilia] *scr.*: Homilia  $\pi$  26 differentia] *scr.*: differentia  $\pi$   
 30 productiua] Aliàs productiue *i.m. add.*  $\pi$

---

12 Pater...13 Filio] cf. Aug, *In Ioh. euang.*, 23, 11 et 44, 5 (241, 63-65 et 390, 6-8)  
 | 14 Qui...ostium] Ioh., 10, 1 | in...15 Trinitate] cf. Aug, *Serm.*, 135, 3, 4 (PL  
 38, 747, 37-40) | 32 potentia...33 producitur] cf. Arist., *Metaph.*, V, 12,  
 1019a15-16; IX, 1, 1046a9-11; *Auct. Ar.*, 1, 219 (133, 85-86)

principium quo aliquid producit, ut patet ex Methaphisica; et ideo omne quod producit aliud producit ipsum per aliquam potentiam productiuam. Minor supponitur ex traditione fidei et ex his que dicta sunt supra distinctione 4<sup>a</sup>. 35

[5] Iuxta quod intelligenda sunt duo: primum est quod cum potentia dicatur in habitu ad actum potentia, aut passiuam in habitu ad actum quem recipit potentia, aut actiuam in habitu ad actum quem producit, ubi non est actus realiter receptus uel productus, ibi non est realiter potentia actiuam uel passiuam. Cum ergo intelligere et uelle in Deo non sint actus realiter recepti uel producti ab intellectu et uoluntate, set penitus idem cum ipsis, idcirco licet in Deo sint intellectus et uoluntas, prout dicunt naturam actu cognoscentem et uolentem, tamen nullum eorum est realiter potentia actiuam uel passiuam respectu predictorum actuum; set cum Filius sit realiter a Patre productus et per consequens realiter distinctus, et Spiritus Sanctus ab utroque, ideo necesse est in diuinis ponere potentiam realiter productiuam respectu utriusque et respectu quidem Filii dicitur potentia generandi, quia productio Filii est generatio, set respectu Spiritus Sancti dicitur potentia spirandi, quia productio eius est spiratio. 40 45 50

[6] Secundo intelligendum est quod sicut *in creaturis aliquid producit per potentiam naturalem et in similitudinem nature producentis (sicut exempli gratia homo generat hominem), aliquid autem producit per potentiam rationalem et non in similitudinem nature producentis, set speciei in mente existentis (sicut producitur domus ab artifice), sic aliqua producantur a Deo Patre per uoluntatem non in similitudinem nature, set yleæ existentis* 55

---

33 Methaphisica] scr.: Metaph. π an scrib. V Methaphisice? 55 autem] scr.: aut π

---

53 sicut...65 Deo] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 1, 1, sol. (176-177)

in mente diuina tanquam artificiata (et tales sunt omnes creature  
 60 quantum productio quo ad totum dicitur `creatio` et principium  
 huius actus dicitur `potentia creandi`), *aliquid autem producitur per  
 naturam in similitudinem nature* et modo nature, sicut producitur *Filius a  
 Patre*, et actus quo producitur dicitur `generatio` et potentia  
 correspondens actui dicitur `potentia generandi`. Sic ergo patet quod  
 65 *potentia generandi realiter est in Deo.*

[7] Secundum patet, scilicet quod potentia generandi in diuinis non  
 dicitur uniuoca cum potentia generandi in creaturis, quia cum  
 potentia productiua sit illa per quam aliud a producente producitur,  
 ubi esse aliud a producente non conuenit uniuoce ipsis productis, ibi  
 70 nec est uniuoca productio nec potentia productiua; set esse aliud a  
 producente non conuenit uniuoce Filio in diuinis et in humanis; ergo  
 etc. Minor probatur, quia in humanis filius est uere et proprie et  
 simpliciter aliud a patre secundum essentiam et substantiam,  
 secundum quam aliquid dicitur simpliciter aliud, set in diuinis Filius  
 75 non est aliud a Patre secundum essentiam et substantiam, set solum  
 secundum rationem dantis et accipientis, que alietas non cadit sub  
 uno communi et formali conceptu cum forma.

[8] Per hoc patet responsio ad primum argumentum quod potentia  
 generandi in diuinis non dicitur uniuoce cum illa que est in creaturis,  
 80 et ob hoc non est aliud simpliciter ibi sicut in humanis.

[9] Ad secundum dicunt QUIDAM quod possibile diuisum contra  
 necessarium *non est in diuinis, set possibile quod continetur sub necessario.*  
*Vnde sicut dicitur quod Deum esse est possibile, ita potest dici quod Filium  
 generari est possibile.*

---

64 actui] quæadd. π 65 generandi] sr.: genetandi π

---

81 dicunt...84 possibile] cf. Thom., *S.th.*, I, 41, 4, ad 2

[10] Set ista responsio non uidetur ualere qua dicitur "Deum esse est possibile": istud `possibile` non arguit in Deo aliquam potentiam, set solum non-repugnantiam terminorum, set Filium generare arguit in Patre potentiam generandi, | non solum non-repugnantiam terminorum; alioquin sequitur oppositum principalis conclusionis. 85  
π32va

[11] Et ideo dicendum aliter quod possibile in diuinis non excludit necessarium nec ponit aliquam dependentiam nec dicit solum impossibile Filium generari propter non-repugnantiam terminorum, imo tali possibili respondet potentia generandi; set quia per talem potentiam non producit diuersum per essentiam, set solum per relationem et in relationibus oppositis est par necessitas, quia equaliter se coexigunt, ideo par necessitas essendi in Patre habente potentiam generandi et in Filio et eadem independentia propter identitatem essentie. 90  
95

100

### 1.7.2 Questio secunda

Vtrum potentia generandi dicat <ad> aliquid uel solum quid

[1] Ad secundum proceditur et arguitur quod potentia generandi dicat ad aliquid et non quid, hoc est relationem et non essentiam, quia *potentie* distinguuntur et *cognoscuntur per actus*; set generare in diuinis dicit ad aliquid et non quid (alioquin conueniret omnibus Personis); 5

1.7.2,2 ad] suppl.: om. π

2 Vtrum...quid] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 1, 2 (178-180); *S.th.*, I, 41, 5; Durandel, *Euid.*, 76, 3 - 96, 278 | 6 potentie...actus] cf. *Auct. Ar.*, 6, 56 (176, 88)

ergo potentia generandi non dicit quid, set ad aliquid.

10 [2] Secundo proprius actus est a propria forma; set generare est proprius actus Patris; ergo est a propria forma Patris, hec est paternitas et non essentia, que est omnibus communis; ergo etc.

15 [3] Tertio sic: sicut se habet Pater ad creandum in quantum Deus, ita se habet ad generandum in quantum Pater, quia sicut creare est proprium Dei, ita generare est proprium Patris; set Deus creat diuinitate; ergo Pater generat paternitate.

Quarto secundum AUGUSTINUM De fide ad Petrum capitulo 3<sup>o</sup>, qui dicit quod *generatio est opus paterne proprietatis*.

20 [4] In contrarium arguitur quia illud est principium generationis in quo genitum assimilatur gignenti; set Filius assimilatur Patri in natura et non in proprietate relatiua; ergo etc.

[5] Item principium actionis et terminus sibi correspondent; set relatio non potest esse terminus actionis; ergo nec principium.

[6] Ad idem est quod dicit DAMASCENUS libro I capitulo 8<sup>o</sup> quod generatio est *opus nature*.

25 [7] Responsio. Circa questionem istam triplex est modus dicendi. Primus est quod potentia generandi dicit intrinsece solam essentiam, quamuis actus generandi non eliciatur ab ea nisi concurrente relatione paternitatis. Et quia tota difficultas, uel quasi tota que sequitur ad hanc positionem, est quomodo essentia communis potest  
30 esse ratio propria eliciendi actum qui non est communis (uidetur enim quod in quocunque est sufficiens principium actus alicuius et non impeditur quod illud possit exire in actum), ideo ad tollendum

---

17 generatio...proprietatis] cf. Fulgent. Rusp., *De fide ad Petrum*, 6 et 7 (715, 139-716, 147 et 716, 154-161); Ps.-Aug., *Solutiones diuers. quaest.*, 14 (161, 22-23) | 24 generatio...nature] cf. Ioh. Damasc., *De fide orthodox.*, I, 8, 4 (32, 78)

hanc difficultatem primo ponetur ymaginatio huius positionis et secundo ponentur rationes eius.

[8] Ymaginatio positionis est ista quod sola essentia diuina est illud 35  
 cuius uirtute ordine quodam eliciuntur hii actus, generare et spirare  
 et creare. Nec est inconueniens quod ab eodem principio sint plures  
 subordinati actus, cum hoc reperiatur in creaturis (lux enim solis est  
 principium illuminandi et calefaciendi); set quia agere est suppositi,  
 ideo oportet essentiam esse in supposito uno uel pluribus ad hoc ut 40  
 eliciat supradictos actus. Si autem termini illorum actuum essent  
 forme compossibiles in eodem supposito, in quocunque inueniretur  
 essentia, illud posset in omnes eius actus, sicut lumen et calor, quia  
 sunt forme compossibiles in eodem, omnis forma que est principium  
 istorum actuum qui sunt illuminare et calefacere, potest in eos in 45  
 quocunque supposito sit, nisi impediatur in agendo per contrarium et  
 per indispositionem materie, de quo non est in diuinis timendum;  
 quando autem per quemlibet actum constituitur nouum suppositum,  
 ut in diuinis, non potest sic esse, imo primus actus necessario est ab  
 essentia ut est in una Persona tantum, secundus ut est in duabus, 50  
 tertius est ut in tribus. Cuius ratio est quia in diuinis non potest esse  
 nisi una Persona non producta. Si enim essent plures non producte,  
 tales necessario differrent | per absoluta, non per relationes originis,  $\pi$ 32vb  
 quod esset impossibile, quia sic essent duo dii.

[9] Ex hoc sic arguitur: nulla Persona potest principiari actionem per 55  
 quam producitur; set prima Persona producta in diuinis producitur  
 per primam productionem uel emanationem; ergo prima Persona  
 producta non potest habere essentiam ut principiet primam  
 productionem uel emanationem; oportet ergo quod productio prima

---

51 est ut] *an scrib.* ut est?



60 sit a Persona non producta, que est tantum una, ut prius dictum est.  
 Per idem patet quod secunda emanatio non potest esse ab essentia  
 nisi prout ipsa est in duabus Personis et non in pluribus, quia  
 secunda Persona producta producitur per secundam emanationem;  
 ergo non potest habere essentiam prout est principium secunde  
 65 emanationis; alioquin produceret seipsam. Restat ergo quod essentia,  
 prout est principium secunde emanationis, sit solum in Persona  
 producente et Persona producta.

[10] Ex quibus apparent duo. Primum est quod essentia diuina non  
 est principium precisum et adequatum alicuius dictorum actuum, qui  
 70 sunt generare et spirare, set est commune principium omnium  
 eorum, licet possit designari per rationem huic uel illi actui  
 adequatam, ut cum dicitur potentia generandi uel potentia spirandi.

[11] Secundo apparet quare quodlibet diuinum suppositum habens  
 perfecte diuinam naturam non potest in omnes actus istos, licet sola  
 75 essentia diuina sit totale et sufficiens principium horum actuum.  
 Causa enim eius est quia essentia diuina secunda est ad hos actus  
 ordine quodam. Et quia non potest esse in secunda Persona nisi  
 completa fecunditate prima per quam expletionem ipsamet secunda  
 Persona producitur, nec potest esse in tertia nisi completa  
 80 fecunditate secunda, ideo in secunda Persona solum est principium  
 secundi actus, qui est spirare; in tertia autem non est principium  
 alicuius actus nisi transeuntis in materiam exteriorem, ut est creare,  
 non sic autem est in generatione ratione creaturarum uniuoca, quia  
 ibi communicatur alia natura secundum numerum habens similem  
 85 uirtutem secundum speciem nulla fecunditate expleta. Et ideo potest  
 in omnes actus speciei debitos in quocunque supposito sit. Hec est

---

71 actui] *coni.*: actiui  $\pi$  82 transeuntis] *coni.*: transeutes  $\pi$

ymaginatio opinionis.

[12] Rationes autem eius sunt plures. Vna est talis: id quod est per se fundamentum relationis non includit intrinsece relationem; set potentia que est ad actus dictos diuinos est per se fundamentum relationis inter producens et productum; ergo etc. Maior patet, quia relatio realis semper fundatur super re alterius predicamenti. Minor probatur, quia nichil pertinet per se ad agens quod possit esse fundamentum dicte relationis nisi actio uel potentia actiua. Actio autem non potest esse fundamentum eius, nec in creaturis, nec in diuinis: in creaturis non, quia actio et passio sunt in passo, fundamentum autem respectu agentis debet esse in agente; nec in diuinis, quia actio in diuinis, puta generare, est relatio et relatio non est per se fundamentum relationis (alioquin esset processus in infinitum); ergo actio non potest esse fundamentum dicti respectus. Relinquitur ergo quod sit potentia actiua. Et hec fuit minor; sequitur ergo conclusio.

[13] Secunda talis est: si in diuinis esset diuersitas nature secundum numerum et unitas secundum speciem, ratio principiandi attribueretur nature et non relationi, sicut nunc esse in creaturis; set unitas nichil perfectionis tollit a natura; ergo per unitatem non tollitur quin debeat habere rationem principii respectu actuum diuinorum.

[14] Tertia ratio talis est: continere principiatiue diuinam Personam nobilius est quam continere causatiue creaturam; set continentia creature est propter essentiam, non propter relationem aliquam; ergo continentia principiatiua respectu diuine Persone multo fortius est

---

102 conclusio] conclusio i  $\pi$  109 principiatiue] *coni.*: principatiue  $\pi$   
 112 principiatiua] *coni.*: principatiue  $\pi$

propter essentiam. Plures alie rationes possent adduci, set iste nunc sufficiunt.

115 [15] Ad rationes principales que sunt contra hanc opinionem  
 respondetur sic. Cum enim primo dicitur quod potentie distinguntur  
 per actus, dicendum quod potentie distinguntur per actus, idest  
 cognoscuntur distincte per actus; set non oportet quod potentie sint  
 in eodem genere cum actu, etiamsi potentie non solum distincte  
 π33ra cognoscantur, set etiam distingantur eodem modo | quo per fines est  
 distinctio eorum que ordinantur ad finem; non enim oportet quod  
 finis et illud quod est ad finem sint eiusdem generis predicamentalis,  
 ut patet de medicina et sanitate. Et ideo in nullo casu necesse est  
 quod si generare dicat ad aliquid, quod propter hoc potentia  
 125 generandi quantum ad illud quod importat intrinsece dicat ad aliquid,  
 licet potentia generandi quantum ad hoc connotet extrinsece aliquid  
 quod importat habitudinem ad actum, qui uere est ad aliquid.

[16] Ad secundum dicendum quod proprius actus est a propria  
 forma uel a forma communi ut appropriata, et hoc modo generare  
 130 est ab essentia ut est sub proprietate Patris, nec tamen proprietas dat  
 essentie quod principiet actum generandi, set est tantum causa sine  
 qua non. Multa enim concurrunt cum potentia que non pertinent ad  
 rationem potentie sine quibus tamen potentia nullo modo exiret in  
 actum; uerbi gratia quantitas nullo modo est de ratione potentie  
 135 calefactiue aut disgregatiue et tamen sine quantitate forte calor non  
 calefaceret nec color disgregaret. Sic est in proposito: fecunditas  
 essentie ad primum actum, qui est generare, licet non possit explicari  
 nisi ab essentia existente in prima Persona, que nullo modo est ab  
 alia, ut declaratum fuit prius, tamen proprietas constituens primam

---

116 distinguntur] distinguuntur π (*item alibi*)

Personam nullo modo pertinet intrinsece ad rationem potentie generandi. 140

[17] Ad tertium respondetur sic quod aliter est Dei proprium creare, aliter est proprium Patris generare. Creare enim est proprium Dei ratione principii creatiui quod in nullo alio esse potest; set generare est proprium Patris non ea ratione principii, set modi habendi principium quod non posset alio modo producere primum actum nisi existens sub proprietate Patris propter conditionem et ordinem actuum, ut uisum est, non propter hoc quod proprietatis ista sit in aliquo elicitiua actus. Sub hoc sensu accipiendum est quod dicit AUGUSTINUS quod generatio est actus paterne proprietatis, quia non elicitur uirtute essentie nisi ut existit sub proprietate Patris. 145 150

[18] Secundus modus est quod tam essentia quam relatio habent rationem principii in generando et in spirando; ymaginantur enim tenentes hanc uiam quod cum *Filius* secundum HILARIUM II libro De Trinitate *nichil habeat nisi natum*, idest per generationem et natiuitatem acquisitum, habet autem essentiam et proprietatem relatiuam, ideo utrunque habet per generationem suam ex Patre, set differenter, quia unum habet tanquam communicatum et non productum, scilicet essentiam que non est producta, set tantum communicata, aliud autem habet tanquam uere productum, scilicet proprietatem relatiuam, et utrunque requirit ad ueram generationem. Sicut enim non esset uera generatio si nichil produceretur, set supponeretur illud totum quantumcunque communicaretur, ita non esset uera generatio si totum produceretur et nichil communicaretur; 155 160

---

157 Patre] *coni.*: parte  $\pi$

---

150 generatio...proprietatis] cf. Ps-Aug, *Solutiones diuers. quaest.*, 15 (162, 10-11)  
 | 152 tam...168 productionis] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 1, 2 (179); *S.th.*, I, 41, 5, resp. | 154 Filius...155 natum] Hilar., *De Trin.*, IV, 10 (111, 7-8)

165 modo dicunt isti quod in generatione Filii essentia Patris habet  
rationem principii quantum ad illud quod ibi est communicationis;  
set Paternitas habet rationem principii quantum ad illud quod ibi est  
productionis.

[19] Et hoc patet sic. Principium quo producens aliquid producit  
170 necesse est realiter distingui a termino quo productum ipsam  
productionem terminat etiam secundum suppositum quando  
terminus productionis suppositum constituit, principium autem  
communicandi non oportet realiter distingui ab eo quod  
communicatur uel quo communicatio terminatur. Nunc est ita quod  
175 in generatione Filii relatio filiationis est id quo productio terminatur  
et est constitutiva suppositi; essentia autem est illud quod  
communicatur uel quo communicatio terminatur; oportet ergo quod  
principium producendi sit realiter distinctum a filiatione etiam  
secundum suppositum. Principium autem communicandi non  
180 oportet distingui ab essentia communicata; set essentia secundum  
positionem communem non distingitur realiter a filiatione nec ab  
aliquo quod sit in diuinis saltem secundum suppositum; ergo ipsa  
non est in generatione Filii principium productionis, licet possit esse  
principium communicationis. Maior patet, quia producens et  
185 productum necessario distinguuntur; nichil enim est impossibilius  
π33rb quam quod aliquid producat se | ipsum, ut dicit AUGUSTINUS I D e  
Trinitate; set producens est totaliter producens ratione principii  
quo producit et productum totaliter est productum ratione termini  
quo productio terminatur, quia hiis exclusis et posito quocunque alio  
190 excluditur totaliter ratio producentis et producti. Et hiis habitis  
statim habetur ratio producentis et producti; ergo oportet quod

---

185 nichil...186 ipsum] cf. Aug, *De Trin.*, I, 1, 1 (28, 35-36)

producens et productum realiter distingantur quantum ad principium productionis et terminum.

[20] Quod etiam patet ex alio, quia oportet quod terminus productionis quo productum terminatur sit non solum communicatus, set etiam productus. Si enim totum esset communicatum et nichil productum, nulla esset productio, ut dictum fuit supra; set si terminus productionis posset esse realiter idem cum principio productionis Filii, impossibile esset ipsum esse productum, quia existit in Patre, qui nichil habet productum; ergo impossibile est quod principium productionis et terminus idem sint realiter, set necessario distinguntur. 195 200

[21] De principio communicandi secus est, quia non est de ratione rei communicate quod sit a communicante producta (sic enim principium communicandi et res communicata necessario distinguerentur), set solum quod sit a pluribus habita ita quod unus habeat ipsam ab alio. Et si quidem sit una numero que solum est communis communitate rei de qua nunc loquimur, non potest simul haberi totaliter et perfecte a pluribus nisi propter solam illimitationem ita quod illimitatio rei communicate est ratio communicandi ipsam, maxime si sit illa communicatio naturalis et non mota a uoluntate ex aliquo fine, qualis est communicatio diuine nature, cuius sola infinitas est ratio quare ipsa ab uno habita ad aliud suppositum deriuetur. 205 210

[22] Sic ergo patet maior. Minor similiter probatur. Quod enim in generatione Filii relatio filiationis sit illud quo productio Filii terminatur, patet sic: illud quod in Filio est tantum productum est illud quo productio Filii terminatur; set in Filio nichil est productum nisi sola relatio filiationis et non essentia que nullo modo est producta; ex hiis autem duobus constituitur Persona Filii; ergo sola 215 220

relatio Filii est terminus productionis. De essentia autem quod ipsa sit illud quod communicatur, planum est. Et hec fuit minor. Sequitur ergo conclusio, scilicet quod in generatione Filii essentia quidem potest esse principium communicationis, set non productionis, cum  
225 ipsa realiter a nullo distingatur.

[23] Hec autem opinio falsa est in hoc quod ponit aliud esse principium productionis et aliud communicationis, quia eiusdem actionis sunt eadem principia; set generatio Filii et communicatio essentie Filio a Patre est eadem actio, scilicet sola generatio; ergo non  
230 est aliud principium productionis et communicationis, set unum et idem. Maior de se patet, minor declaratur, quia in diuinis non est actio nisi originis; set in diuinis non sunt nisi due origines, uidelicet generationis et spirationis; ergo communicatio essentie non est actio ab illis distincta.

[24] Item omnem actionem originis sequuntur alique relationes reales; set preter relationes generationis et spirationis actiue et passiuę sumptarum non sunt in diuinis alie relationes reales originis; ergo communicatio diuine essentie non est distincta actio a  
235 generatione et spiratione, quia sibi correspondent proprie relationes reales; non est ergo ymaginandum quod Filius habeat essentiam a Patre per aliam actionem quam per generationem, quia non est ita, set quia Pater generat Filium in sua essentia intrinsece, ideo dicitur communicare ei suam essentiam non alia actione quam generatione.

[25] Et esset simile si in humanis forma Patris et Filii possent esse in  
240 eadem materia numero. Tunc enim Pater generando Filium et introducendo formam in sua propria materia communicaret ei eandem materiam quam habet non alia actione quam generatione.

---

235 sequuntur] *coni.*: sequuntur  $\pi$

Similiter quia proprietas formalis constitutiua Filii potest esse et est  
 in eadem essentia cum formali proprietate constitutiua Patris, ideo  
 Deus Pater in generando Filium communicat ei suam essentiam, quia 250  
 per solam generationem utraque proprietas est in eadem essentia;  
 non est ergo uerum quod aliud est | principium generandi et aliud  $\pi$ 33va  
 communicandi, imo oportet quod sit unum et idem sicut et una  
 actio; necesse est ergo quod illud principium sit unum uel sola  
 essentia, ut dicit prima opinio, uel sola relatio. 255

[26] Et quamuis prima opinio, prout fuit posita et exposita, sit satis  
 probabilis, non uidetur tamen michi quod possit esse uera. Et hoc  
 partim probatum est in opinione precedente, que quantum ad hoc  
 uera est in hoc quod ponit et efficaciter probat quod principium quo  
 producus producit, necessario distingitur a termino productionis, 260  
 que probatio potest confirmari sic secundum PHILOSOPHUM I  
 Phisicorum: principium et principiatum sunt multa et non  
 unum. Ex quo accipitur quod principium et principiatum realiter  
 differunt; set principium et principiatum non solum sunt illud quod  
 producit et illud quod producit, set per prius et uerius dicitur 265  
 principium illud quo producus producit quam suppositum quod  
 producit, et proportionaliter uerius est principiatum correspondens  
 predicato principio illud quo productio terminatur quam suppositum  
 quod productionem terminat; ergo principium quo producus  
 producit necessario distingitur a termino quo productum terminat 270  
 productionem etiam secundum <suppositum> ubi productio  
 semper constituit nouum suppositum; set omnis productio in diuinis  
 constituit suppositum, essentia autem diuina a nullo quod fit in

---

271 suppositum] *suppl.*: om.  $\pi$

---

262 principium...263 unum] cf. Arist., *Phis.*, I, 6, 189b27-28



275 diuinis distingitur secundum suppositum; ergo essentia diuina non  
 potest esse principium quo uel terminus productionis diuine.  
 Assumpta probatur, uidelicet quod per prius et uerius est principium  
 illud quo producens producit quam suppositum producens, quia  
*propter quod unumquodque tale, et illud magis*; set producens dicitur  
 principium producti ratione forme per quam ipsum producit et non  
 280 econuerso.

[27] Item qualitas abstracta a supposito agit ut in sacramento altaris;  
 set suppositum agit ut in sacramento altaris; set suppositum nullo  
 modo posset agere nisi haberet qualitatem uel formam per quam  
 ageret; ergo etc.

285 [28] Item principium quo ex se toto est principium; set suppositum  
 non est principium ex se toto; set solum ratione principii quo  
 principiat; ergo etc.

[29] Videtur ergo necessarium quod potentia generandi, que est  
 principium quo generans generat, sit sola relatio paternitatis, que sola  
 290 distinguitur secundum suppositum a Filio et filiatione. Et hec est  
 tertia opinio, que sola poterit habere ueritatem secundum ea que  
 ponit fides; necessitas autem huius opinionis patet ex eo quod  
 principium quo generans generat distingitur necessario in diuinis  
 secundum suppositum a termino productionis, ut statim probatum  
 295 est.

[30] Sumuntur etiam ad hoc quedam probabiles rationes, quarum  
 prima talis est: quodocunque aliquis actus inest alicui supposito et  
 non alteri, imo repugnat, oportet quod ille actus insit per illam  
 rationem formalem per quam unum differt ab alio, non per illam

---

278 propter...magis] cf. Arist., *An. Post.*, I, 2, 72a29-30 (transl. Iacobi); *Metaph.*,  
 II, 1, 993b24-25

secundum quam conuenit cum ipso (uerbi gratia ratiocinari inest homini et non bruto, et certe oportet quod conueniat homini per idem per quod differt a bruto); set generare conuenit Patri et non Filio, set repugnat; ergo oportet quod conueniat ei per id per quod differt a Filio et illud est paternitas et non essentia. 300

[31] Et confirmatur ratio ista per ARISTOTILEM I E t h i c o r u m, qui probat simili argumento quod beatitudo uel felicitas non sit operatio sensitue partis, set intellectiue, quia beatitudo inest homini et non bruto; ergo inest homini per illud per quod differt a bruto, et hoc est intellectus, non sensus. Hoc etiam prima facie uidetur rationabile, quia effectus communis requirit causam communem et per eandem rationem proprius propriam. 305 310

[32] Secundo sic: imperfectionis est in aliqua forma quod det actum primum et non possit dare secundum, sicut ponitur exemplum de qualitate quod esset ualde imperfecta quod daret actum primum et nullo modo possit in actum secundum. 315

[33] Set proprietates relatiue in diuinis dat actum primum, scilicet esse personale, nec aliquid imperfectionis habet; ergo oportet dare actum secundum, qui est generare.

| [34] Tertio sic: tanti ambitus debet esse aliquis actus quanti ambitus est principium precisum. Dico autem `precisum`, quia si principium non esset precisum respectu huius actus tantum, set excederet, ratione excessus posset esse maioris ambitus; set potentia generandi est principium precisum generandi; ergo non excedit actum generandi; essentia autem excedit, quia est in Filio, cui non competit 320  $\pi$ 33vb

---

315 possit] *an scrib.* posset? 322 esse] *coni.*: esset  $\pi$

---

306 beatitudo...309 sensus] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 6, 1097b32-1098a17

325 generare; ergo etc.

[35] Quarta talis est: emanationes diuine debent reduci in talia principia quibus positis statim ponitur status in emanationibus; set posito quod relationes sint principia emanationum, statim rationabiliter ponitur quod non sint nisi due emanationes in diuinis; 330 non sic autem si sola essentia ponatur principium; ergo etc. Maior patet, quia cum non possint esse plures emanationes in diuinis quam due, rationabile est quod talia ponantur principia emanationum ex quibus possit sufficienter uel probabiliter reddi status emanationum. Minor probatur, quia si relationes sint principia, tunc rationabiliter 335 potest dici quod sunt tantum due emanationes actiue secundum duas relationes, scilicet paternitatem et spirationem actiuam uel secundum duplicem oppositionem relationum originis; si uero sola essentia ponatur principium, hoc non potest dici, quia qua ratione ipsa una existens erit principium, non unius tantum, set duarum, eadem 340 ratione plurium uel infinitarum.

[36] Ad rationes prime opinionis respondendum est: ad primam, cum dicitur quod fundamentum relationis non includit intrinsece relationem, aut intelligitur de intraneitate rei aut rationis. Si de intraneitate rei, contra eos est, quia isti dicunt quod relatio et suum 345 fundamentum semper sunt eadem res intrinsece; si de intraneitate rationis, concedatur sic quod fundamentum relationis non includit illam intrinsece relationem cuius est fundamentum, set bene potest includere aliam. Dicimus enim quod quedam relationes sunt opposite, ut paternitas et filiatio, quedam uero similes ut due 350 filiationes. Similitudo ergo, cum sit relatio, fundatur super relationem filiationis nec includit eam in sua ratione intrinseca; et similiter super relationem que est paternitas potest fundari relatio potentie, inquantum ipsa est principium productiuum alterius.

[37] Vnde quod assumitur quod relatio semper fundatur super re  
 predicamenti alterius, non est uerum uniuersaliter, quia relatio que 355  
 est sola denominatio respectiua potest fundari non solum super  
 absolutum, set super relationem, nec propter hoc erit processus in  
 infinitum, quia relatio non est fundamentum relationis ex hoc solo  
 quod est relatio, set secundum aliquam rationem que non est 360  
 multiplicabilis in infinitum, sicut in proposito super paternitatem in  
 diuinis fundatur relatio potentie, quia paternitas in diuinis est  
 principium aliud producendi. Et multa implicantur in minore  
 propositione de fundamento relationis agentis ad passum seu  
 producentis ad actum productum, tam in creaturis quam in diuinis,  
 que parum habent ueritatis, set quia non sunt contra propositum 365  
 nostrum, ideo non pertracto; non enim omnia possunt dici de  
 omnibus.

[38] Ad secundam rationem dicendum quod ipsa magis concludit  
 oppositum quam propositum eorum, quia ubi natura plurificatur  
 secundum numerum, una potest esse principium alterius, set ubi ipsa 370  
 est una secundum numerum, ipsa non potest esse principium  
 productionis et terminus propter realem differentiam quam necesse  
 est esse inter principium et principiatum.

[39] Ad tertiam dicendum quod Persona diuina est aliquid maius  
 quam creatura et quicquid continet Personam diuinam principiatue 375  
 continet etiam creaturam principiatue et non econuerso, quia  
 Spiritus Sanctus principiatue continet creaturam et non aliquam  
 diuinam Personam; set non oportet quod principium quo Persona  
 producit aliam sit maius quam illud quo producit creaturam, nec  
 idem precise, quia principiari diuinam Personam non ponit nec 380  
 arguit in principiante aliquam perfectionem supra non principiantem  
 (alioquin perfectiores essent Pater et Filius quam Spiritus Sanctus,

qui nullam Personam principiat aut producit, quod falsum est);  
 propter quod principiare diuinam Personam non est maius nec  
 π34ra minus nec equale quam principiare creaturam, quia nulla  
 perfectionem ponit nec arguit plus quam non principiare. Et ideo  
 talis principiatio debet reduci in tale principium, quod secundum se  
 non dicat aliquam perfectionem, et hoc est in diuinis sola relatio.

[40] Ad rationes principales similiter respondendum. Cum enim  
 390 primo dicitur quod illud est principium generationis in quo genitum  
 assimilatur generanti, dicendum quod non est uerum nisi sit  
 generatio simpliciter uniuoca, in qua genitum non solum recipit  
 naturam a generante, set cum natura etiam potentiam generandi  
 simile nisi incidat defectus et error nature; ubi autem generatio est  
 395 equiuoca nec genitum consequitur potentiam generandi aliud nec  
 consequi potest, impossibile est quod illud sit potentia generandi quo  
 genitum assimilatur generanti. Generatio autem in diuinis ex parte  
 est quasi equiuoca, ut dictum fuit supra distinctione 4<sup>a</sup>. Genitum  
 autem non consequitur similem potentiam generandi aliud. Et ideo  
 400 principium generationis non est illud in quo genitum alteri  
 assimilatur. Et iterum ubicunque principium generationis est illud in  
 quo genitum assimilatur generanti, illa assimilatio est secundum  
 diuersas formas numero differentes sub eadem specie quantum una  
 potest esse principium alterius; ubi autem assimilatio est secundum  
 405 eandem formam numero, tollitur necessario ratio principii et termini,  
 quia in nulla productione potest idem numero esse principium in  
 terminis, et sic est de essentia in diuinis.

[41] Ad secundum dicendum quod sicut ARISTOTILES negauit quod  
 relatio posset esse terminus actionis, ita negasset et multo fortius

---

397 Generatio...398 equiuoca] cf. supra, I, 4, 1, [10]-[11] (28vb) | 408  
 Aristotiles...409 actionis] cf. Arist., *Phis.*, V, 2, 225b11-12

quod relatio posset constituere suppositum. Et quia nos non 410  
 tenemus ARISTOTILEM quantum ad hoc, imo dicimus quod relatio in  
 diuinis constituit suppositum, ideo oportet negare illud quod  
 communiter se habet ad hoc, scilicet quod relatio non possit esse  
 terminus actionis uel etiam principium. Dictum etiam fuit quod non  
 omnino similiter loquendum est de potentia generandi in Deo et in 415  
 creaturis, sicut nec de generatione et supposito generante.

[42] Ad dictum autem DAMASCENI potest dici quod pro tanto dicit  
 DAMASCENUS quod generatio est opus nature, quia per eam natura  
 communicatur, et uirtute uature generatio fundamentaliter elicitur,  
 quia relatio que immediate actum generandi elicit fundatur in 420  
 essentia, tamen non propter hoc est potentia generandi, quia  
 `potentia` dicit immediatum principium quo actus elicitur; uel potest  
 dici quod DAMASCENUS sub nomine `nature` comprehendit  
 quicquid pertinet ad rationem suppositi et sic relatio in diuinis sub  
 nomine `nature` continetur, cum DAMASCENUS dicat quod generatio 425  
 est opus nature; uocat enim `naturam` omne principium quod agit  
 necessario et non libere, etc.

### Questio tertia

#### Vtrum potentia generandi sit in Filio

[1] Ad tertium sic proceditur et uidetur quod potentia generandi sit  
 in Filio, quia perfecta ymago perfecte imitatur illud cuius est ymago; 5

---

423 nomine] *coni.*: nomine  $\pi$  1.7.3,5 imitatur] *scr.*: imittatur  $\pi$

---

2 Vtrum...Filio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 2, 1 (182-183); *S.th.*, I, 41, 6

set Filius est ymago perfectissima Patris; ergo perfectissime imitatur ipsum potentia generandi; ergo etc.

[2] Item *nulla scientia est in Patre que non sit in Filio; ergo nulla potentia est in Patre que non sit in Filio; ergo in Filio est potentia generandi sicut*  
10 in Patre.

[3] Ad idem est quod dicit AUGUSTINUS Contra Maximinum, et habetur in litera: *Filius non genuit, non quia non potuit, set quia non oportuit*; si ergo non, quia non potuit, ergo potuit.

[4] Contra: si potentia generandi est in Filio, posito quod generet,  
15 nullum sequitur impossibile; sequitur autem, scilicet quod esset immoderata generatio et infinitas filiorum; ergo hec potentia non est in Filio. Quod autem hoc sequatur, patet, quia potentia generandi diuina aut est terminata ad unum Filium, aut non; si sic, non erit in potentia generandi nisi in Patre respectu illius Filii; si non, qua  
20 ratione potest in duos et in tres et infinitos? uel dicatur quare non.

[5] Responsio. Duo sunt modi dicendi ad questionem istam. Primus  
 $\pi$ 34rb est eorum qui dicunt quod potentia generandi | dicit relationem paternitatis, que cum non sit in Filio, nec potentia generandi est in ipso, et hic modus, ut michi uidetur, uerior est et planior.

[6] Alius modus est correspondens prime opinioni et est talis quod  
25 istud gerundium `generandi` potest accipi tripliciter, scilicet actiue, passiuue uel impersonaliter. Et primo modo potentia generandi est ut aliquis generet; sic non est in Filio, quia Filius non potest generare; licet enim sola essentia sit secundum istos id uirtute cuius fit

---

6 imitatur] *scr.*: imittatur  $\pi$  11 Maximinum] *con.*: Maximum  $\pi$  15 autem] *con.*: aut  $\pi$

---

8 nulla<sup>1</sup>...10 Patre] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 2, 1, arg 4 (182) | 12 Filius...13 oportuit] cf. Aug., *Contra Maxim.*, II, 12, 3 (PL 42, 768) | 26 istud...35 Filio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 7, 2, 1, sol. (182)

generatio, tamen quia ipsa hoc non habet nisi in quantum est 30  
 secundum istos fecunda quo ad primum actum, qui est generare,  
 ratione cuius fecunditatis sortitur nomen et rationem `potentie  
 generatiue`, ipsa autem ut sic non est in Filio, set solum tali  
 fecunditate expleta, ideo essentia ut habens rationem potencie  
 generatiue actiue non est in Filio. 35

[7] Set diceret aliquis contra hoc sic: omne absolutum commune est  
 tribus Personis; set potentia generandi actiue est quid absolutum, ut  
 ponit prima opinio; ergo est in Filio et in omnibus Personis.

[8] Et ad hoc dicunt quod illud quod est sic absolutum quod nullo  
 modo connotat respectum est commune tribus Personis; set 40  
 absolutum quod connotat respectum non est commune tribus, ut est  
 sapientia genita, que tantum competit Filio, potentia autem  
 generandi actiue, licet intrinsece non importet nisi solum absolutum  
 quod est essentia, secundum istos tamen, ut est ad generare ex quo  
 sortitur nomen et rationem `potentie generatiue`, actiue connotat 45  
 respectum primitatis sibi coexistentem in Persona in qua est sub  
 ratione talis potencie, et hoc propter primitatem actus generandi  
 respectu aliorum actuum; propter quod non est nisi tantum in prima  
 Persona et non in secunda uel tertia.

[9] Si autem gerundium sumatur passiuę, sic potentia generandi est in 50  
 Filio, primo ut generetur et in solo Filio. Sicut enim esse Deum  
 genitum competit soli Filio, licet Deus sit nomen commune, sic  
 potentia generandi passiuę competit soli Filio propter respectum  
 connotandum proportionaliter ut in potentia generandi actiue.

[10] Si autem ly `generandi` sumatur impersonaliter, sic dicunt quod 55  
 potentia generandi est communis tribus Personis. Nam potentia qua

---

31 quo] *coni.*: quod  $\pi$  32 ratione] *coni.*: ratio  $\pi$  51 primo] *scr.*: .1.  $\pi$



exercetur actus generandi est in qualibet Persona, licet generare uel generari non sit in qualibet.

[11] Set ista non placent: primum non, quia supra ostensum fuit  
 60 quod potentia generandi est relatio et non essentia ut sic. Nec  
 secundum uidetur ualere, quia ualde extraneus modus loquendi est  
 dicere quod aliquis habeat potentiam generandi, quia haberet  
 potentiam ut generetur, quemadmodum esset extraneum dicere quod  
 paries habeat potentiam dealbandi, quia habet potentiam ut dealbetur  
 65 aut quod ignorans habeat potentiam docendi, quia habet potentiam  
 ut doceatur.

[12] Secundo, quia talis responsio in nullo uadit ad intentionem  
 questionis; nullus enim querendo utrum in Filio sit potentia  
 generandi, intendit querere utrum Filius habeat potentiam ut  
 70 generetur, set tantum ut generet, quia de hoc est difficultas si  
 ponatur quod potentia generandi dicat tantum quid.

[13] Tertium etiam non uidetur bene dictum, scilicet quod potentia  
 generandi, cum gerundium impersonaliter sumitur, sit in qualibet  
 Persona, quia uerbum impersonale, etsi determinate non importat  
 75 habitudinem ad personam agentem uel patientem, quia ex hoc  
 impersonale dicitur, tamen importat eam in uniuersali et  
 indeterminate; uerbi gratia cum dicitur "docetur" impersonaliter, uel  
 habet potentiam docendi, prout est gerundium uerbi impersonalis,  
 non includitur determinate habitudo ad personam que docet actiue  
 80 uel determinate ad personam que docetur passiuue, tamen nunquam  
 uerificatur nisi pro persona cui competit aut competere potest actus  
 docendi actiue uel passiuue; igitur licet ly `generandi´ impersonaliter  
 sumptum non includat determinate actionem uel passionem aut  
 respectum ad generans uel genitum, includit tamen indeterminate  
 85 nec unquam uerificari potest quod in aliquo sit potentia generandi

accipiendo impersonaliter, nisi cui competit aut competere potest generatio actiue uel passiuę; set generationi | nullo istorum modorum potest competere esse; ergo nec potentia generandi etiam impersonaliter loquendo, quod est contra dictum tertium. π34va

[14] Ad primum argumentum dicendum quod Filius, cum sit perfecta ymago Patris perfectissime imitatur Patrem in his quibus imitatio attendi solet, hec autem sunt proprie quantitatis uel qualitatis uel aliqua per modum quantitatis uel qualitatis recepta (unde de alio perfecte imitante patrem dicitur quod est tantus et talis sicut pater); secundum relationes autem non est proprie imitatio, quia nullus secundum eas dicitur similis aut dissimilis quo ad imitationem pertinet. Cum ergo `potentia generandi` dicat relationem intrinsece, secundum eam non debet attendi imitatio, set solum secundum essentiam et materie essentialia, in que transeunt quantitas et qualitas in diuinis; in hiis autem Filius perfecte imitatur Patrem, licet non in potentia generandi propter relationem quam includit. 90  
95  
100

[15] Ad secundum dicendum quod non est simile de scientia et potentia generandi, quia scientia mere est absolutum et ideo est omnibus communis, potentia autem generandi includit intrinsece relationem, ratione cuius non potest omnibus conuenire. 105

[16] Ad tertium dicitur quod AUGUSTINUS dicere intendit quod non est potentia in Filio non posse generare, set ex proprietate relatiua sibi conuenit, etc.

---

91 imitatur] scr.: imittatur π

## Distinctio octaua

### Sententia litere octaue distinctionis in generali et speciali

*Nunc de ueritate siue proprietate.* Superius ostendit MAGISTER trinitatem  
5 Personarum in unitate essentie, hic autem prosequitur de hiis que  
pertinent ad essentiam et Personam. Sunt autem in diuinis tria,  
scilicet essentia communis, Persona distincta et proprietas  
distinguens. Et circa hoc quatuor facit: primo enim determinat de  
pertinentibus ad essentiam; secundo de pertinentibus ad Personas;  
10 tertio de proprietatibus; quarto comparat illa ad inuicem. Secunda in  
principio cum dicit ibi: *Nunc autem ad distinctionem Personarum.* Tertia  
in principio 26<sup>e</sup> distinctionis ibi: *Nunc de proprietatibus.* Quarta in  
principio 33<sup>e</sup> distinctionis ibi: *Post predicta.*

Prima diuiditur in tres secundum tria attributa essentie que  
15 prosequitur: primo enim determinat de essentie unitate; secundo de  
essentie incommunicabilitate; tertio de simplicitate. Secunda ibi: *Dei  
etiam solius.* Tertia ibi: *Eademque sola.* Prima in tres partes: primo enim  
proponit suum intentum circa diuine essentie unitatem; secundo  
circa propositum mouet dubitationem; tertio dubitationem soluit.  
20 Secunda ibi: *Hoc autem diligenter aduertendum.* Tertia ibi: *Ecce hoc dicit  
AUGUSTINUS.*

---

1.8.0,11 principio] *an supplendum* 9<sup>e</sup> distinctionis? 12 26e] *coni.*: .20. π 13 33e]  
*coni.*: 30<sup>e</sup> π | *predicta*] *an scrib. supradicta?* 17 etiam] *scr. cum Lombardo:* autem π  
20 Hoc] *Hic Lomb.* | hoc] *hic Lomb.*

---

4 Nunc...proprietate] *Lomb., 95, 4* | 11 Nunc...Personarum] *Lomb., 103, 6*  
| 12 Nunc...proprietatibus] *Lomb., 196, 26* | 13 Post predicta] *Lomb., 240, 4*  
| 16 Dei...17 solius] *Lomb., 97, 2* | 17 Eademque sola] *Lomb., 98, 20* | 20  
*Hoc...aduertendum*] *Lomb., 95, 21-22* | *Ecce...21 Augustinus*] *Lomb., 96, 18*

Tunc sequitur illa prima pars: *Dei etiam solius essentia*, in qua determinat de ipsius Dei immutabilitate. Et diuiditur in duas: primo proponit diuinam immutabilitatem; secundo eam declarat per comparisonem ad creaturas. Secunda ibi: *Vt enim ait AUGUSTINUS*. 25  
Hec est diuisio et sententia MAGISTRI pro ista lectione in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et primo proponit quod diuina essentia est summe ueritatis, incommutabilitatis et simplicitatis, ueritatis, quia esse ei uerissime conuenit (nam et a uerbo `essendi` proprium nomen habet); et ostendit quod Dei esse 30  
secundum HIERONIMUM non habet preteritum nec futurum, quod qualiter intelligendum sit, aperit dicens quod esse Dei non nouit preteritum, quia semper erat, non desinit esse neque nouit futurum, quia semper fuit nec incepit esse. Et hanc expositionem confirmat per AUGUSTINUM. Postea contra hoc obiicit dicens: Si enim esse 35  
diuinum non nouit preteritum uel futurum, quomodo ergo uerba preteriti uel futuri temporis de eo dicuntur? Et respondet ad hoc quod preterita uerba de Deo dicuntur, non quia esse diuinum preterito uel futuro subiaceat, set ad significandum diuinam eternitatem et permanentem ipsius perpetuitatem. Subdit etiam quod 40  
esse diuinum non aduenit ei ab alio nec est accidens mutabile, set naturaliter ei inest. Tunc sequitur illa pars *Dei etiam solius*, in qua MAGISTER primo proponit quod esse diuinum est incommutabile, secundo probat hoc quatuor rationibus, quarum prima talis: in omni  
| mutabili est aliquid secundum accidens quo mediante fit mutatio 45  
(id autem sumit ab AUGUSTINO); in Deo autem nichil est secundum 50  
π34vb

---

25 *Vt...Augustinus*] Lomb., 97, 14-15; cf. *Aug., De Trin.*, I, 1, 2 (29, 61-64) |  
27 primo...35 Augustinum] cf. Lomb., 95, 3 - 96, 19; *Aug., De Trin.*, V, 2, 3  
(207, 1 - 208, 7); *Super Ioh.*, 99, 5 (585, 14-23); *Hier., Ep.*, 15, 4 (CSEL 54, 65,  
15-19) | 35 Postea...42 inest] cf. Lomb., 96, 20-32 | 42 Tunc...47  
inmutabilis] cf. Lomb., 97, 2-13; *Aug., De Trin.*, V, 2, 3 (208, 7-17)

accidens; ergo Deus est immutabilis. Secunda ratio est talis: quod  
 habet uerissimum esse semper seruat esse; Deus habet uerissimum  
 esse; ergo seruat semper esse; et omne tale incommutabile est; ergo  
 50 Deus est incommutabilis. Tertia talis est, et sumpta ab APOSTOLO, et  
 potest sic formari: omne quod mutatur moritur et mouetur  
 secundum aliquid sui, quia dicit AUGUSTINUS: *Omnis mutabilis*  
*nonnulla est mors ipsa mutatio*; set Deus semper est immortalis, sicut  
 dicit APOSTOLUS; ergo Deus est immutabilis. Quarta ratio talis est:  
 55 omne quod mutatur mouetur uel per locum uel per tempus; set Deus  
 nullo motu mouetur; ergo Deus est immutabilis uere. Et hec est  
 sententia MAGISTRI in speciali.

#### Questio prima

Vtrum `qui est` uel `esse` Deo conueniat proprie

[1] Circa distinctionem istam queritur de entitate Dei, secundo de  
 5 eius immutabilitate. Circa primum duo queruntur. Primum est utrum  
 `qui est` uel `esse` Deo conueniat proprie. Et uidetur quod non, quia  
 nichil nominamus nisi quod concipimus; set conceptus quem  
 habemus de Deo `quia est` est maxime confusus et minime proprius;  
 ergo et nomen huic conceptui correspondens minime est proprium;  
 10 tale est qui est uel esse; ergo etc.

[2] Item agens equiuocum non communicat cum effectu in ratione  
 quam largitur effectui, sicut sol non est calidus, quia causa est

---

47 Secunda...50 incommutabilis] cf. Lomb., 97, 14-25 | 50 Tertia...54  
 immutabilis] cf. Lomb., 97, 26 - 98, 12; Aug., *Contra Maximin.*, II, 12, 2 (PL 42,  
 768); Paul., *I Tim.*, 6, 16 | 54 Quarta...56 uere] cf. Lomb., 98, 13-17 | 2  
 Vtrum...proprie] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 1, 1 (194-197); *S.th.*, I, 13, 11 | 7  
 nichil...10 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 1, 1, 2 (194)

equiuoca caloris; set Deus est causa equiuoca respectu creature et largitur esse ei; ergo non conuenit Deo esse et si non conuenit ei, non est ei proprium. 15

[3] In contrarium est quod dicitur *Exod. 3: Qui est misit me ad uos*, etc. Et arguitur per rationem sic: cui soli competit nomen essentie illi proprium est esse, quia `essentia` ab `esse` dicitur uel econuerso; set soli Deo competit nomen essentie, ut patet per *HIERONIMUM Ad Marcellam*, ubi dicit: *Deus solus, qui exordium non habet, uere `essentie` nomen tenuit*, quia in eius comparatione qui uere est, quia incommutabilis est, quasi non sunt que commutabilia sunt; ergo soli Deo proprie competit esse. 20

[4] Responso. `Proprium` diuiditur contra `commune` et contra `translatum`, et sic dicitur dupliciter: dicimus enim quod homo proprie ridet, pratum autem, dum floret, ridere dicitur non proprie, set translatiue; dicimus etiam quod homini proprium est ratiocinari, sentire autem non, set commune, licet utrunque conueniat homini proprie, prout `proprium` diuiditur contra `translatum`. 25

[5] Si ergo questio queret de `proprio`, prout diuiditur contra `translatum`, quod quidem habet rationem `improprii`, sic dicendum quod Deo competit maxime proprie esse. Quod patet dupliciter, primo sic: illa nominatio est magis propria, prout nunc loquimur de `proprio`, que sumitur secundum cognitionem magis propriam; set talis est per hoc nomen `qui est` uel `esse`; ergo etc. Maior de se patet, minor probatur. Cum enim in hac uita non possimus uidere Deum, sicut in seipso est, quemcunque modum intellectus noster determinet, circa ipsum deficit semper a modo quo ipse in se est; et 30 35

1.8.1,20 Marcellam] *scr. cum Lombardo*: Marcellum π

16 Qui...uos] *Exod.*, 3, 14 | 20 Deus...21 tenuit] *Hier., Ep.*, 15, 4 (65, 13-18) | 26 pratum...ridere] cf. *Thom., S.th.*, I, 13, 6, resp.

ideo omnis affirmatiua cognitio de Deo, quanto particularior, tanto  
 40 plus habet de improprietate determinando circa Deum modum qui  
 in ipso non est, quanto autem uniuersalior, tanto minus habet de  
 improprietate; talis autem est cognitio `si est', secundum quam  
 imponitur ei hoc nomen `qui est'; etc.

[6] Secundo sic: illud nomen magis proprie competit Deo quod  
 45 importat plures perfectiones unico modo et sine contradictione  
 alicuius limitationis. Ratio huius est quia de hiis que fiunt in creaturis,  
 ex quibus Deum cognoscimus et nominamus, sole perfectiones Deo  
 attribuuntur, set eminentius quam sint in creaturis, quia in Deo sunt  
 perfectiones omnes generaliter sine exceptione unite sine diuisione,  
 50 infinite sine limitatione. Ergo illud nomen magis proprie competit  
 Deo quod importat plures perfectiones quo ad primum et unito  
 modo quo ad secundum et sine contradictione | et limitatione quo  
 π35ra ad tertium; set hoc est `esse' uel `qui est' (dicit enim DYONISIUS  
 quod *inter omnes diuine bonitatis participationes primum est esse et quasi*  
 55 *principium aliarum prehabens* in se omnia predicta secundum quendam  
 modum; *unitum* est enim minime determinatum et limitatum); ergo  
 maxime proprie competit Deo. Et hanc rationem tangit  
 DAMASCENUS libro III capitulo 13° dicens sic: *Videtur quidem omnibus*  
*principalius eorum que de Deo dicuntur nominibus esse `qui est', quemadmodum*  
 60 *ipse oraculo loquens Moysi in monte ait: Dic filiis Israel quod qui est misit me*  
*ad uos, totum in seipso comprehendens, uelut quoddam pelagus substantie*  
*infinitum et indeterminatum.*

51 unito] *omni.*: unico π 56 unitum] *scr.*: unicum π 59 principalis] *scr.*:  
 principalis π

54 inter...56 unitum] cf. Ps.-Dion., *De diu. nom.*, 5 (336-337; 340); Thom., *Super*  
*Sent.*, I, 8, 1, 1, sol. (195) | 58 Videtur...62 indeterminatum] cf. Ioh. Dam., *De*  
*fide orth.*, I, 9, 2 (48, 13 - 49, 17)

[7] Si autem questio querat de `proprio` ut diuiditur contra  
 `commune`, sic dicendum est quod `esse` uel `qui est` non est  
 proprium nomen Dei est tamen aliquo modo appropriatum. Primum 65  
 patet, quia illud est proprium quod soli conuenit; sic per oppositum  
 illud est commune quod pluribus conuenit, set esse non solum  
 conuenit Deo, set etiam creaturis; ergo non est Deo proprium.  
 Secundum patet, scilicet quod est appropriatum, idest de communi  
 tractum ad proprium propter aliquam specialem rationem; dicitur 70  
 enim aliquid appropriate tale, quia maxime est tale. Et hoc modo  
 esse appropriate competit Deo. Quod patet sic: illud cui competit  
 primo esse et nullo modo potest ei competere non esse, dicitur  
 maxime esse et per consequens appropriate esse; set Deo primo  
 competit esse et nullo modo potest ei competere non esse, quia ipse 75  
 solus est necesse esse; ergo Deo competit maxime esse et sic  
 appropriate esse. Maior patet, quia illud conuenit alicui maxime quod  
 conuenit ei primo et sine respectu ad oppositum; minor similiter  
 declarata est; sequitur ergo conclusio sic: ergo esse conuenit Deo  
 non proprie, set appropriate. Hec autem appropriatio non est 80  
 respectu aliorum nominum que simili modo possunt Deo  
 appropriari, sicut `esse sapientem`, `bonum`, et huiusmodi, set est  
 respectu creaturarum, quia nulli creature potest sic appropriari esse.

[8] Per hoc patet responsio ad primum argumentum; solum enim  
 probat quod esse non est proprium Dei, prout `proprium` diuiditur 85  
 contra `commune`, et hoc concessum est; tamen non probat quin  
 conueniat ei appropriate et proprie, prout `proprium` diuiditur  
 contra `translatum`.

---

87 diuiditur] *con.*: dicitur  $\pi$



[9] Ad secundum quod uidetur probare quod esse nullo modo  
 90 competit Deo, dicendum quod causa equiuoca non communicat cum  
 effectum in ratione specifica quam ei largitur; alioquin iam non esset  
 equiuoca, set uniuoca; necesse est tamen quod comunicet in  
 rationibus communibus et transcendentibus, que omnia circumeunt,  
 sicut esse bonum et huiusmodi.

95 [10] Argumentum in oppositum probat solum quod essentia et esse  
 conueniant Deo appropriate, et hoc sonant uerba HIERONIMI, ut  
 patet intuentibus.

### Questio secunda

#### Vtrum in solo Deo esse et essentia sunt idem

[1] Secundo queritur utrum in solo Deo essentia et esse sint idem  
 5 realiter. Et uidetur quod sic, quia nichil potest intelligi uere sub  
 opposito eius quod est idem re cum ipso (sicut `homo` non potest  
 intelligi cum opposito `animalis` uel `rationalis`); set esse omnis  
 creature potest intelligi cum opposito ipsius esse, quia potest uere  
 intelligi non esse; ergo in nulla creatura esse et essentia sunt idem re.

10 [2] Secundo modo sicut se habet esse actualis existentie accidentis ad  
 accidens, sic se habet esse actualis existentie substantie ad  
 substantiam; set esse actualis existentie accidentis, quod est inesse,  
 est aliud ab accidente, quod probatur ex hoc quod potest manere  
 sine inesse, ut in sacramento altaris: ergo etc.

---

2 Vtrum...idem] cf. Thom., *S.th.*, I, 3, 4 | 7 esse...9 esse<sup>1</sup>] cf. Aegid. Rom.,  
*Theorem. de esse et essentia.*, 5 (21, 20 - 22, 9); 21 (134, 19-22)

- [3] Item si essentia esset idem quod esse, tunc esset idem iudicium de ista "essentia est essentia" et "essentia est"; set hoc est falsum, quia una potest esse falsa altera existente uera (ista enim semper fuit uera "homo est homo", non autem ista "homo est"); ergo etc. 15
- [4] Item nichil est in potentia ad seipsum; set essentia est in potentia ad esse; ergo etc. 20
- [5] Item sicut se habet materia ad formam et ad priuationem<sup>1</sup>, sic se habet essentia ad esse et non esse; set materia differt realiter a forma; ergo essentia differt realiter ab esse. π35rb
- [6] Item solus Deus est esse subsistens et illimitatum; set si in creaturis esse et essentia essent idem re, creatura esset suum existens, quia quedam creature per se subsistunt, haberent etiam esse illimitatum, quia esse secundum se nullam limitationem habet; tunc autem creatura esset purum esse, nichil habens preter esse admixtum; hoc autem est inconueniens; ergo etc. 25
- [7] Item BOETIUS libro De hebdomadibus hebdomadam 1<sup>a</sup> dicit: *diuersum est esse et quod est*, et quedam similia dicit hebdomadam 2<sup>a</sup>, dicit idem et 5<sup>a</sup>, ex quibus uidetur quod essentia et esse realiter differant in creaturis. 30
- [8] Item AUGUSTINUS libro I De Trinitate capitulo 1<sup>o</sup> dicit sic: *Proprie de Deo dicuntur quecumque in nulla reperiuntur creatura; exemplum ponit Scriptura diuina sicut illud quod dictum est ad Moysen: Ego sum qui sum et qui est misit me ad uos. Cum enim aliquo modo dicatur esse et corpus et animus, nisi proprio quodam modo uellet intelligi, non illud utique diceret. Ille* 35

19 nichil...20 etc] cf. Aegid. Rom., *Theorem de esse et essentia.*, 5 (24, 3-18) | 21 sicut...23 esse] cf. Aegid. Rom., *Theorem de esse et essentia.*, 5 (20, 11-15) | 24 solus...29 etc] cf. Aegid. Rom., *Theorem de esse et essentia.*, 5 (24, 21 - 25, 15) | 31 diuersum...est<sup>2</sup>] cf. Boeth., *Quomodo subst.* (187, 26; 188, 37-40; 190, 96-97; 192, 121-122) | 35 Proprie...38 diceret] Aug., *De Trin.*, I, 1, 2 (29, 54-59)

autem modus non uidetur alius nisi quod in ipso solo esse sit idem  
40 quod essentia; quare etc.

[9] In contrarium est quod dicit HUGO De sacramentis parte I  
capitulo 19<sup>o</sup> quod homo ex corpore et anima est suum esse. Et  
arguitur per rationem COMMENTATORIS quia ens aut est per seipsum  
aut per aliquid additum. Si per seipsum, habetur propositum. Si per  
45 aliquid additum, queram de illo addito, cum sit, utrum sit per se aut  
per aliquid additum; si per seipsum, eadem ratione fuit sistendum  
<ac> in primo; si per aliquid additum, queram similiter de illo, et sic  
erit processus in infinitum, quod est inconueniens.

[10] Item 4<sup>a</sup> propositione De causis dicitur quod *prima rerum*  
50 *creatarum est esse*; set hoc non esset si differret realiter ab essentia, quia  
supponeret productionem essentie; quare etc.

[11] Responsio. Preter opinionem que ponit quod esse et essentia in  
creaturis realiter differunt, cuius rationes potiores tacte sunt in  
arguendo opinionem illorum qui dicunt quod non differunt realiter,  
55 bifurcatur. QUIDAM enim dicunt quod esse nichil aliud reale et  
absolutum addit super essentiam, set solum respectum ad causam  
producentem; dicunt enim quod res habet duplex esse, scilicet  
essentie et esse existentie. Primum habet quelibet res ab eterno  
inquantum respicit Deum tanquam causam exemplarem, et est  
60 penitus idem re cum essentia nec differt nisi sola ratione. Quod  
probant, quia cognitio Dei, qua cognoscit res ab eterno, terminatur

---

1.8.2,47 ac] *suppl.: om. π*

42 homo...esse] cf. Hugo, *De sacram.*, I, 6, 1 (PL 176, 264C) | 43 ens...44  
additum] cf. Auer., *Metaph.*, X, 8 (257E-F) | 49 prima...50 esse] *Lib. de auis.*, 4,  
37 (54) | 52 opinionem...54 realiter] cf. Aegid. Rom., *Theorem. de esse et essentia*,  
19 (125-134, spec. 127, 10 - 130, 7) | 55 Quidam...58 existentie] cf. Henr.  
Gand., *Quodl. I*, 9 (49, 53-67; 53, 69 - 55, 11; 57, 49-59); *Quodl. III*, 9 (61r); *Quodl.*  
*IX*, 1 (7, 8 - 9, 36)

ad ueram rem, quod non esset nisi res ab eterno haberent aliquod esse reale. Item exemplar respicit exemplatum et ydea ydeatum et creatiuum creabile; cum ergo in Deo sit ab eterno exemplar et ydea rerum et potentia creatiua earum, sequitur quod ab eterno sit exemplatum et ydeatum creabile; hec autem non sunt Deus, set creatura; ergo creatura habet aliquid esse reale ab eterno, quod non est secundum istos nisi esse essentie, quod habet creatura a Deo sicut a causa exemplari, esse autem existentie habet a Deo sicut a causa effciente; nec differt ab essentia nec ab esse essentie nisi solo respectu quem habet ad causam suam ut est actu producens, ita quod creatura sub esse existentie includit rem sub respectu quo actu producta est; quod concordat cum dicto communi quo dicitur quod generatio et creatio et huiusmodi terminantur ad esse.

[12] Hec autem opinio non potest stare, nec quantum ad illud quod primo dicit de eternitate essentiarum, nec quantum ad illud quod secundo dicit quod esse existentie addit super essentiam eternam solum respectum, et quia primum non directe pertinet ad propositum, ideo de illo nichil dicitur nisi quantum cogunt rationes quas adducunt pro se. Set de secundo quod est directe ad propositum, patet quod non uerum est, et hoc sic: `esse existentie` aut dicit solum respectum aut solum fundamentum respectus aut utrunque. Primum non potest dici, scilicet quod `esse` dicat solum respectum, quia tunc rem esse non esset aliud quam ipsam referri, quod est inconueniens, quia referri in creaturis supponit esse. Item quia ad solum respectum non terminatur per se et immediate aliqua actio, ipsi autem ponunt quod ad esse solum terminatur creatio. Nec potest dici quod includat | utrunque, scilicet fundamentum et

86 ad...87 actio] cf. Godefr. Font., *Quodl. VIII*, 3 (41) | 87 Nec...90 creante]  
cf. Godefr. Font., *Quodl. VIII*, 3 (46)

respectum, quia totum esse existentie producitur a generante uel  
 90 create. Si ergo includeret fundamentum quod est essentie et  
 respectum, utrunque produceret per creationem, quod ipsi negant,  
 nec aliquis unquam per `esse rei` duo intellexit, unum absolutum et  
 aliud relatiuum. Relinquitur ergo quod esse dicat solum aliquid  
 absolutum, quod tamen potest esse fundamentum respectus. Illud  
 95 autem absolutum uel est penitus idem cum essentia sola ratione  
 differens ab ipsa uel est aliquid additum essentie, quorum utrunque  
 est contra eos.

[13] Ratio autem prima eorum per quam probant eternitatem  
 essentiarum, quod est preter propositum, est contra eos. Si enim  
 100 oporteret illud quod a Deo est intellectum ab eterno, habere ueram  
 entitatem ab eterno, cum Deus ab eterno cognouerit res non solum  
 quo ad essentiam, set quo ad earum existentiam, consequens est  
 quod creature fuerint ab eterno, non solum quo ad esse essentie, set  
 etiam quo ad esse existentie, quod est contra eos. Dicendum est ergo  
 105 ad maiorem quod cognitio Dei qua cognoscit res ab eterno  
 terminatur ad ueram rem, non que sit ab eterno in actu, set tantum in  
 potentia, non rei nisi obiectiue, set Dei; ex hoc enim solum creatura  
 potuit esse, quia potuit esse obiectum uel terminus operationis  
 diuine.

[14] Ad secundam dicendum quod in maiori non bene accipitur  
 proportio sicut debet accipi; totum enim debet accipi secundum  
 potentiam ut dicatur ydea et ydeale, exemplar et exemplare, sicut  
 dicitur creatiuum et creabile, et tunc nichil ponitur actu ab eterno, set  
 tantum secundum potentiam modo quo dictum est. Si autem dicatur  
 115 quod exemplar requirit exemplatum et idea ideatum, sicut creatiuum

---

99 Si...104 eos] cf. Godefr. Font., *Quodl. VIII*, 3 (42-43)

creabile, non bene dicitur, set debet dici sicut creans et creatum, et omnia accipiantur dicta secundum actum, et tunc sicut Deus non fuit ab eterno actu creans, sic nec fuit ydeans ut sic dicatur uel exemplans, ut sic liceat nomina fingere, propter quod nullo modo sequitur quod creature fuerint ab eterno. Item cum non sint nisi 120 quatuor genera causarum, necesse est quod causa exemplaris coincidat cum aliqua earum; non nisi cum efficiente; ergo etc. Item omnes cause quatuor sunt respectu eiusdem; ergo non est aliud esse respectu efficientis et exemplaris.

[15] ALII autem sunt qui dicunt quod esse non est aliquid additum 125 essentie differens realiter ab ea, neque secundum absolutum neque secundum respectiuum, set differt solum ratione: essentia significat naturam rei in abstracto, ens uero dicit illud idem in concreto; esse autem existentie dicit illud idem cum nota copule uerbalis ut sit idem esse quod habere essentiam ita quod esse et ens et esse realiter idem 130 dicunt sub diuersis modis significandi. Fundatur autem hec opinio in dicto ARISTOTILIS V Methaphisice, qui diuidit ens in ens secundum animam tantum et in ens extra animam tantum, quod diuiditur in decem predicamenta, et huius entis solius est essentia et esse extra animam de quo nunc querimus. Sicut ergo ens extra 135 animam, quod diuiditur in decem predicamenta, predicat essentiam uniuscuiusque rei de qua dicitur et non aliquid additum, ut dicit PHILOSOPHUS IV Methaphisice ita quod *idem* sint *'homo'* et *'ens homo'* nec dicunt aliquid diuersum nisi *secundum dictionem repetitam*, ut

128 concreto] *coni.*: concetto  $\pi$  139 dictionem] *scr.* cum Aristotele: distinctionem  $\pi$

120 cum...122 efficiente] cf. Godefr. Font., *Quodl.* VIII, 3 (43) | 125 Alii...127 ratione] cf. Godefr. Font., *Quodl.* II, 2 (67-68); *Quodl.* III, 1 (163-165; 170-171; 175-176); *Quodl.* VIII, 3 (37-38) | 132 diuidit...134 predicamenta] cf. Arist., *Metaph.*, V, 7, 1017a7-30; VI, 2, 1026a33-b2 | 138 idem...139 repetitam] cf. Arist., *Metaph.*, IV, 2, 1003b26-33

140 ibidem dicitur, ita de quocunque dicatur esse in re extra, non dicit  
 aliud re set idem; sicut enim omne ens uel est substantia uel quantitas  
 et sic de aliis, ita omne esse est uel esse substantiam uel esse  
 quantum et sic de aliis, et sic cum dicitur "homo" uel "linea est", et  
 sic de omnibus dicat esse id ipsum quod subiectum ratione alicuius  
 145 sub esse contenti, quod est esse substantiam uel esse quantitatem, et  
 sic de ceteris, sic cum dicitur "homo est ens" uel "linea est ens". Hoc  
 autem innuit ARISTOTILES V Methaphisice distinguendo ens  
 extra in decem predicamenta; dicit enim sic: *Quoniam ergo*  
*predicamentorum alia quid est significant, alia quale, alia quantum, alia ad*  
 150 *aliquid, alia facere, alia pati, alia ubi, alia quando, horum unicuique esse idem*  
*significat.*

[16] Confirmatur autem hec positio multis rationibus. Primo sic: ab  
 ente secundum quod ens nichil potest esse realiter differens eo quod  
 ens omnia includit; set esse conuenit unicuique in eo quod est ens,  
 unde et unum ab altero denominatur et proprietas communis  
 π35vb reducitur ad aliquam rationem communem secundum quam  
 conuenit omnibus in quibus reperitur; illa autem ratio non potest  
 esse nisi ratio entis; ergo non est realiter differens a natura entis; set  
 `ens` dicit essentiam illius de quo predicatur et non est aliquid  
 160 additum; ergo et `esse` dicit id ipsum. Secundo sic: ex eadem radice  
 esse aut est in certo predicamento aut est de transcendendentibus;  
 non potest dici quod sit in certo predicamento, quia non in  
 predicamento substantie, quia conuenit accidenti etiam sine  
 substantia existenti, ut quantitati in sacramento altaris, nec in aliquo

---

146 sic<sup>2</sup>] *an scrib.* sicut?

---

148 Quoniam...151 significat] Arist., *Metaph.*, V, 7, 1017a24-27 (tr. Guill.) |  
 152 ab...160 ipsum] cf. Godefr. Font., *Quodl.* III, 1 (162)

de predicamentis accidentium, quia nullum est quod necessario 165  
 assequatur omne ens, sicut facit esse (nam quantitas predicamentum  
 accidentis non conuenit substantiis separatis, quibus tamen conuenit  
 esse; qualitas etiam non necessario assequitur omnia, quia Deus  
 posset facere quod quantitas haberet esse sine qualitate eque faciliter  
 sicut sine substantia; et eodem modo potest deduci in aliis 170  
 predicamentis); relinquatur ergo quod esse sit de transcendentibus, et  
 hoc uidetur rationabile, quia de quocunque dicitur `ens` de eis dicitur  
 `esse`, set omnia transcendentia predicant essentiam eorum de  
 quibus dicuntur et non aliquid additum, ergo etc. (simile enim  
 iudicium uidetur esse de omnibus transcendentibus); et ideo cum 175  
 `ens`, `unum`, `aliquid`, `res` non dicant aliquid additum `essentie`,  
 uidetur quod idem iudicium sit de `esse`. Tertio sic: omne accidens  
 supponit subiectum subsistens; si ergo esse subsistentie sit accidens  
 additum essentie, eo circumscripito per intellectum adhuc subiectum  
 esset per se subsistens; et ita aliquid intelligitur subsistens sine esse 180  
 subsistentie, quod implicat contradictionem. Quarto sic: plus  
 dependet accidens a subiecto quam subiectum ab accidente; set nos  
 uidemus quod Deus potest separare accidens a subiecto et separatum  
 conseruare, ut dictum est de speciebus in sacramento; ergo multo  
 fortius potest substantiam uel essentiam subiecti separare ab omni 185  
 accidente et separatum conseruare; set res nullo modo potest  
 conseruari sine esse, quia implicat contradictionem; ergo esse non est  
 accidens additum essentie. Quinto sic, eadem radice: nulla substantia  
 completa est in potentia ad esse simplex sic ut illud non habeat uel  
 habere non possit nisi addito sibi actu realiter ab ipsa diuerso; set 190

---

179 adhuc] *oni.*: adhoc  $\pi$  180 ita] *oni.*: illa  $\pi$

---

188 nulla...193 additum] cf. Godefr. Font., *Quodl.* III, 1 (167-169)



esse subsistentie substantie complete est esse simpliciter; ergo  
 essentia substantie complete non est in potentia ad esse subsistentie  
 tanquam ad actum sibi additum. Maior patet, quia illud quod est in  
 potentia ad esse simpliciter nec illud habet nisi addito actu realiter  
 195 diuerso, illud est tantum in pura potentia tenens infimum gradum  
 possibilem in entibus, quia hoc est esse in potentia subiectiue ad esse  
 simpliciter, quod non conuenit nisi materie prime, que est *prope nichil*  
 secundum AUGUSTINUM; set essentia substantie complete siue  
 simplicis, ut est angelus, siue composite, ut in corporibus, non est  
 200 pura potentia tenens infimum gradum possibilem in entibus (hoc  
 enim soli materie prime competit et non actui uel includenti actum,  
 sicut est in omni substantia completa); ergo nulla completa  
 substantia est in potentia ad esse simpliciter sic ut illud habere non  
 possit nisi addito sibi actu realiter ab ipso diuerso; et hec fuit maior.  
 205 Minor similiter probatur, scilicet quod esse subsistentie substantie  
 complete sit esse simpliciter; ad hoc enim quod aliquid dicatur esse  
 simpliciter, uidentur solum duo requiri quantum pertinet ad  
 propositum: primum est quod sit in rerum natura (esse enim solum  
 in intellectu est esse secundum quid per comparisonem ad esse in re  
 210 extra); secundum est quod illud esse in re extra sit tale quod non  
 supponat aliud, alia autem supponunt ipsum (per hoc enim habet  
 quandam principalitatem ratione cuius dicitur esse simpliciter); hec  
 autem sunt in esse subsistentie substantie complete, quia est esse  
 extra animam et in ipso fundantur omnia alia et supponunt ipsum,  
 215 ipsum autem non supponit alia; ergo est esse simpliciter; et hec fuit  
 minor. Sequitur ergo conclusio, scilicet quod essentia substantie

---

194 addito] *coni.*: additio  $\pi$  210 est quod] *coni.*: *inu.*  $\pi$

197 materie...nichil] cf. Aug, *Conf.*, XII, 6, 6 (219, 13-15); *De Gen. ad litt.*, I, 15 (22, 12-14)

complete non est in potentia ad esse tanquam ad actum sibi additum; item esse actualis existentie non est aliud quam esse actu ens, et sic est differentia `entis` conduisa contra `ens in potentia`, set differentia `entis` non dicit aliquid additum illi de quo predicatur sub ente, sicut `rationale` non dicit aliquid additum illi de quo predicatur sub `animali`, etc. 220

| [17] Ad rationes in oppositum respondendum est. Ad primam, cum arguitur "nichil potest intelligi sub opposito eius quod est idem cum ipso", dicendum quod uerum est, nisi facta essentiali transmutatione, qua tamen facta potest intelligi, uerbi gratia de essentia hominis est esse animatum; propter quod non intellecta transmutatione circa essentiam hominis impossibile est intelligere hominem esse sub opposito animati, ut intelligamus quod homo maneat quo ad essentiam suam et non sit animatus, facta autem transmutatione circa essentiam et ea cointellecta potest homo intelligi sub opposito animati, ut cum intelligimus hominem esse mortuum, intelligimus hominem sub opposito animati, et hoc est cointellecta mutatione circa essentiam hominis. Similiter in proposito manente essentia in essentialibus non possumus uere intelligere essentiam non esse, set cointellecta mutatione essentie quo ad ea que sunt ei intrinseca potest intelligi essentia non esse, quamuis essentia et esse sint id ipsum, uel aliter quia essentia et esse utrunque dicitur secundum actum et secundum potentiam. Cum ergo dicitur quod essentia et esse sint idem, intelligendum est proportionaliter sumendo, scilicet essentiam in actu et esse in actu et essentiam in potentia et esse in potentia, et sic sumendo unum non potest intelligi 225 230 235 240

---

224 arguitur] *an supplendum* quod?

---

224 nichil...225 ipso] cf. Godefr. Font., *Quodl. III*, 1 (171)

sub opposito alterius; non enim potest uere intelligi quod essentia in actu non habeat esse in actu, quod essentia in potentia non habeat esse in potentia, [non] potest tamen intelligi quod essentia in potentia non sit actu, quia `esse` et `essentia` sic accepta non sunt idem. Vel dicendum quod nichil potest uere intelligi esse subiectiue sub opposito eius quod est idem cum ipso, nec essentia potest sic intelligi sub non-esse quasi ipsa sit quoddam subiectum non-esse, quia si esset subiectum, esset ens et haberet esse, et sic simul esset et non esset; set quodlibet creatum potest uere intelligi sub opposito eius quod est de ratione sua, non quidem subiectiue ita quod maneat secundum id quod est et eius oppositum sibi conueniat, set facta transmutatione uere dicitur de eo oppositum eius quod prius dicebatur.

[18] Ad secundum dicendum quod esse accidentis non differt realiter ab essentia nec potest ab ea separari, et quando dicitur quod imo, quia *accidentis esse est inesse*, dicendum quod hoc est intelligendum non secundum identitatem, set secundum concomitantiam, quia accidens secundum naturam non esset nisi inesset, suum tamen inesse non esset suum esse; nam unum manet in accidente separato uirtute diuina, altero non manente.

[19] Ad tertium dicendum quod idem iudicium est de hac "essentia est essentia" et "essentia est", sumendo proportionaliter hincinde terminos secundum potentiam et actum; hec enim semper est uera "essentia est in actu", et similiter hec "essentia in actu est in actu", et eodem modo sumendo terminos secundum potentiam, sumendo

---

245 non] *sed.* 253 id] *coni.*: in  $\pi$

258 accidentis... inesse] cf. Arist., *Metaph.*, V, 30, 1025a14; Thom., *In Metaph.*, V, 9, 894; V, 22, 1139

autem secundum potentiam subiectum et predicatum secundum actum utraque est falsa, scilicet ista "essentia in potentia est essentia in actu" et hec "essentia in potentia est in actu". 270

[20] Ad quartum dicendum quod `potentia` et `actus` dicuntur quandoque diuersas res, quandoque autem eandem sub alio modo. Exemplum primi est, cum dicitur quod aqua est in potentia ut sit calida; exemplum secundi est, ut cum dicitur "Sortes fuit prius in potentia postea in actu". Cum ergo dicitur quod nichil est in potentia ad seipsum, uerum est primo modo, quam potentiam ALIQUI uocant subiectiuam, set secundo modo non est uerum, quia idem est in potentia ad seipsum secundum alium et alium modum, et sic essentia secundum potentiam dicta est in potentia ad seipsam acceptam secundum actum et ad esse secundum actum quod est idem cum essentia in actu. Eodem modo esse creature est in potentia ad esse et non-esse, quia esse rei potest esse et potest non esse, propter quod per idem posset concludi quod esse non sit idem sibi, sicut quod non sit idem cum essentia. 275 280

[21] Ad quintum dicendum per interemptionem maioris: materia enim est in potentia subiectiua ad formam et ad priuationem et ideo oportet quod differat ab utraque secundum rem; essentia autem non est in potentia subiectiua ad esse et non-esse, set obiectiua tantum; dicitur enim essentia esse in potentia ad esse, quia potest esse obiectum operationis diuine producentis eam in actu; est etiam in potentia ad nos esse, quia ab ea potest substrahi influentia diuina, qua subtracta res secundum totum quod in ea est cedit in nichil; 285 π36rb

273 est<sup>1</sup>] *an supplendum* ut?

277 subiectiuam] cf. Henr. Gand., *Quodl.* VIII, 9 (314vM); *Quodl.* XI, 3 (443rG); cf. P. Porro, "Duns Scot et le point de rupture avec Avicenne", in: O. Boulnois et al., *Duns Scot à Paris*, 197, n. 5

esse autem sic in potentia ad esse et non-esse, scilicet obiectiue  
 tantum non arguit quod essentia differat realiter ab esse, set potius  
 295 oppositum, quia ipsamet essentia est obiectum operationis diuine  
 ipsam producentis.

[22] Ad sextum dicendum quod esse cuiuslibet creature subsistentis  
 est subsistens, nullum tamen est illimitatum. Et quod dicitur quod  
 esse secundum se est illimitatum, dicendum quod esse in sua  
 300 communitate acceptum est illimitatum ratione esse increati sub ipso  
 contenti, quodlibet autem aliud esse, siue sit subsistens siue non, siue  
 sit idem cum essentia siue aliud, limitatum est ex eo quod creatura  
 est; neque enim essentia limitat esse, quia essentia illimitata est omni  
 illo modo quo et esse.

[23] Ad autoritatem BOETII De hebdomadibus potest dici  
 quod pro tanto dicit BOETIUS quod *diuersum est esse et quod est*, quia  
 aliquid includitur in uno eorum ex suo modo significandi quod non  
 includitur in alio, uel ut uerius credo quod BOETIUS non loquitur  
 uniuersaliter in omnibus, set in compositis, nec loquitur de esse  
 310 existentie, ut est commune ad esse in actu et ad esse in potentia, set  
 solum de esse in actu. Et quia in compositis tota actualitas est a  
 forma, que differt a composito sicut pars a toto, ideo dicit quod  
 differt quod est, idest ipsum compositum, et quo est uel esse, idest  
 forma, sicut totum et pars. In simplicibus enim secundum IPSUM hec  
 315 non differunt secundum hanc intentionem; dicitur in eodem libello  
 quod id quod est participat ipsum esse. Circa quod est notandum  
 quod tripliciter potest aliquid participare aliud: uno modo sicut

---

298 illimitatum] *coni.*: illuminatum  $\pi$  299 illimitatum] *coni.*: illuminatum  $\pi$

305 hebdomadibus] *coni.*: hebdomadis  $\pi$

---

306 diuersum...est<sup>2</sup>] cf. Boeth., *Quomodo subst.* (187, 26)

subiectum participat formam, sicut homo dicitur participare  
 albedinem, et hoc modo participans et participatum differunt realiter;  
 secundo modo sicut totum partem uel aliquid sumptum per modum 320  
 partis, et hoc modo concretum dicitur participare abstractum, quia  
 concretum significat per modum totius et habentis, abstractum uero  
 per modum partis et per modum habiti, et sic dicimus quod homo  
 participat humanitatem, quia `humanitas` significat per modum  
 partis, licet realiter dicat totum, et dicimus quod homo participat 325  
 rationabilitatem, que partem dicit et per modum partis; tertio modo  
 dicitur aliquid participare aliud, quia habet illud diminutiue respectu  
 alterius in quo est perfecte, sicut calor aeris dicitur participatus  
 respectu caloris ignis. Primo modo ens non participat essentiam aut  
 esse, quia non se habet ad ea ut subiectum ad formam re 330  
 differentem; secundo autem modo et tertio ens uel id quod est  
 potest dici participare essentiam <et> esse, quia ens se habet ad  
 essentiam sicut concretum ad abstractum et se habet ad esse actu  
 sicut totum ad partem in compositis, esse etiam in omni creatura est  
 diminutum respectu esse diuini. Et ideo potest dici participatum 335  
 secundo et tertio modis, licet non sit ab essentia diuersum.

[24] Ad illud AUGUSTINI dicendum est quod proprius modus quo  
 esse conuenit Deo non est quod in eo solo esse sit idem quod  
 essentia, set quia immutabiliter competit ei esse; et hoc patet ex hiis 340  
 que dicit V libro capitulo 2<sup>o</sup> resumens illud uerbum, ubi dicit sic: *Id  
 solum quod non solum non mutatur, uerum etiam mutari omnino non potest  
 sine scrupulo occurrit quod uerissime dicatur esse.*

---

332 et] *suppl.: om. π*

---

340 Id. . . 342 esse] Aug., *De Trin.*, V, 2, 3 (208, 14-17)

Questio tertia

Vtrum solus Deus sit immutabilis

[1] Postea queritur de immutabilitate Dei, utrum solus Deus sit  
 5 immutabilis. Et uidetur quod non, quia illud quod exit de otio in  
 actum uel de non operante fit operans mutatur; set Deus est  
 huiusmodi (fecit enim creaturas ex tempore, cum prius non fecisset);  
 ergo etc.

[2] Item si solus Deus sit immutabilis, omnis creatura est mutabilis;  
 10 set contra: omne quod est mutabile est mutabile in oppositum, set  
 oppositum mutabilis est immutabile; ergo si omnis creatura est  
 mutabilis, erit mutabilis in immutabile; si ergo Deus est immutabilis  
 et omnis creatura mutabilis, omnis creatura est mutabilis in Deum,  
 quod est impossibile

$\pi$ 36va | [3] In contrarium est quod dicitur MALAC. 3: *Ego enim Dominus et  
 non mutor.* Et IAC. 1: *Apud quem non est transmutatio.* De creatura autem  
 simul dicitur et Creatore in Psalmo: *Mutabis et mutabuntur; Tu  
 autem idem ipse es* etc.

[4] Responsio. *Aliquid potest dici mutabile per potentiam que est in altero*  
 20 *tantum et aliquid per potentiam que est in ipso;* et utroque modo omnis  
 creatura mutabilis est, Deus autem immutabilis. Primum patet, et

---

1.8.3,4 sit] *coni.*: fit  $\pi$

---

2 Vtrum...immutabilis] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 3, 1-2 (210-215); *S.th.*, I, 9, 1-2 | 5 uidetur...8 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 3, 1, arg 4 (210) | illud...6 mutatur] cf. Arist., *Phys.*, III, 2, 202a3-6 | 15 Ego...16 mutor] Malachi, 3, 6 | 16 Iac] Iac., 1, 17 | 17 Mutabis...18 es] *Ps.*, 101, 27-28 | 19 Aliquid...21 immutabilis] cf. Thom., *S.th.*, I, 9, 2, resp.

primo quod omnis creatura sit mutabilis per potentiam que est in  
 altero, et hoc sic: omne quod secundum se totum dependet ex  
 alterius uirtute et operatione mutabile est secundum se totum per  
 subtractionem influentie illius, quia omne quod dependet ab aliquo, 25  
 quantum dependet, siue in fieri siue in esse, siue quo ad totum siue  
 quo ad partem tantum, est mutabile per subtractionem influentie  
 illius; set omnis creatura dependet secundum se totam a Deo; ergo  
 omnis creatura secundum totum quod in ea est est mutabilis per  
 subtractionem influentie diuine. Item paris uirtutis esse uidetur 30  
 producere rem in esse et facere eam non esse, imo in multis uidemus  
 secundum esse facilius quam primum; set creatura a Deo potuit fieri  
 ex nichilo; ergo potest a Deo reduci in nichil; utraque autem  
 potentia, scilicet ut creatura producat ex nichilo uel reducat in  
 nichil, est Dei et non creature, nisi uocetur potentia non prohibitio; 35  
 nichil enim posituum ex parte creature subiicitur creationi, nichil  
 etiam est in creatura producta quod sit in potentia subiectiua ad  
 annihilationem, set sicut creatura dicitur posse creari, quia potest  
 esse terminus ad quem potentie diuine creantis, sic dicitur annihilari  
 posse, quia potest esse terminus a quo potentie diuine influentiam 40  
 suam subtrahentis. Patet ergo quod omnis creatura est mutabilis per  
 potentiam que est in altero; set absque dubio hec non est proprie  
 mutatio, quia de ratione `mutationis` proprie dicte est quod aliquid  
 unum et idem se habeat nunc aliter quam prius. Cum ergo in  
 creatione et annihilatione nichil unum et idem se habeat nunc aliter 45  
 quam prius, quia quod incepit esse per creationem non fuit prius, nec  
 sic nec aliter, quia omnino non fuit, similiter quod desinit esse per  
 annihilationem prius quidem habet esse, set postea non est, nec sic

---

39 sic] *omi.*: sicut  $\pi$



nec aliter, nec secundum se nec secundum aliquid sui, quia penitus  
50 non est, ergo non est ibi proprie mutatio.

[5] Si autem aliquid dicatur mutabile per potentiam que est in ipso,  
adhuc omnis creatura est aliquo modo mutabilis: uel secundum  
formam, sicut in omnibus generabilibus et corruptibilibus, in quibus  
nichil est quod non pertineat ad mutationem, uel ut subiectum, uel ut  
55 terminus primo uel secundario, uel secundum locum, sicut in  
corporibus celestibus, uel secundum electionem, sicut in omnibus  
creaturis spiritualibus. Et causa est quia omnis motus et mutatio est  
propter non habitum possibile tamen haberi; sunt enim motus et  
mutatio alicuius imperfecti; quod ergo non est simpliciter perfectum  
60 potest mutari aliquo modo mutationis; set nulla creatura est omnino  
et simpliciter perfecta; ergo omnis creatura potest aliquo modo  
mutari.

[6] Secundum patet, scilicet quod Deus nullo modo sit mutabilis et  
quidem quod non sit mutabilis secundum potentiam que est in altero  
65 per creationem et annihilationem. Patet, quia omne quod est sic  
mutabile causam habet a qua secundum se totum dependet, ut  
dictum fuit; set Deus causam non habet, set est omnium prima  
causa; ergo etc.

[7] Quod etiam non sit mutabilis secundo modo, scilicet per  
70 potentiam que est in ipso, patet, quia quod est omniquaque  
perfectum est omnino immutabile; set Deus est omniquaque  
perfectus; ergo est omnino immutabilis. Maior patet et ex eo quod  
motus et mutatio sunt actus rei imperfecte, ut dictum est, et per  
inductionem: quod enim mutatur secundum locum pertingit  
75 secundum se uel aliquid sui ad aliquid quod prius pertingere non

---

53 sicut] *coni.*: sic  $\pi$

poterat, est etiam quantum et limitatum, quia quantum infinitum moueri non posset, et hec omnia sonant imperfectionem; quod etiam mutatur secundum formam substantialem uel accidentalem est subiectum alicuius forme sibi inherens uel est forma inherens (utrique enim attribuitur mutatio, uni tanquam termino, alii tanquam subiecto; utrunque autem semper importat imperfectionem, subiectum quidem, quia est in potentia | passiuam ad formam, forma autem, quia est alii inherens et quantum ad suum perfectum esse ab alio dependens); quare etc.

[8] De mutatione autem secundum electionem, quod includat imperfectionem, patet, quia mutatio secundum electionem prouenit ex mutatione cognitionis (manente enim iudicio rationis eodem simpliciter in uniuersali et in particulari de aliquo eligendo impossibile est electionem mutari); mutatio autem cognitionis non est nisi alicuius imperfecte cognoscentis, qui non nouit a principio et simul omne eligibile et omnes circumstantias eius; quare etc. Patet ergo quod omne illud quod est omniquaque perfectum nullo modo est mutabile; minor autem ab omnibus supponitur, scilicet quod Deus sit simpliciter et omniquaque perfectus; ergo nullo modo est mutabilis.

[9] Ad primum argumentum dicendum est quod exitus de otio in actum et nouitas operati nunquam arguit mutationem in operante nisi sit nouitas secundum operationem intra manentem; illa enim non potest de nouo aduenire sine qualicumque mutatione, alie autem possunt. Si enim sol semper staret in hemisperio nostro in eodem situ et luna suo motu quandoque interponeretur inter nos et solem, sol quandoque non illuminaret nos et quandoque illuminaret nos et

---

88 uniuersali] *coni.*: uelle  $\pi$

quandoque illuminaret de nouo nulla facta mutatione in ipso. Si  
 etiam sol esset cognoscens et uolens et illuminare esset in potestate  
 105 sue uoluntatis, tunc sol antiqua uoluntate et eterna, si eternam  
 haberet, posset uelle et per consequens facere nouam illuminationem  
 absque quacunque mutatione sui, nec quo ad uelle, quod potest esse  
 antiquum et eternum respectu uoliti de nouo producendi, nec quo ad  
 illuminare, quia nouum illuminare non ponit mutationem in  
 110 illuminante, ut dictum est. Cum ergo Deus agat per uoluntatem cui  
 subest quicquid uoluerit posse, patet quod sine sui mutatione potest  
 noua producere.

[10] Ad secundum dicendum quod mutatio semper est in oppositum,  
 set non secundum omnem conditionem eius quod mutatur. Alioquin  
 115 nichil symbolicum esset inter id quod mutatur et illud in quod  
 mutatur, quod falsum est, quia sic non potest mutari aer in ignem  
 cum uterque fit calidus, nec mutabile in aliquid mutabile cum  
 conueniant in mutabilitate, quod est absurdum; sufficit ergo  
 opposito secundum ea que sunt per se et speciales termini mutabilis,  
 120 ut album, nigrum, calidum, frigidum; secundum conditionem autem  
 subiecti, ut est esse mutabile, uel secundum generales condiciones  
 terminorum non oportet nec est possibile esse oppositum. Si enim  
 terminus a quo est qualitas, non oportet quod terminus ad quem sit  
 non qualitas, imo necessario est qualitas; esse autem mutabilis est  
 125 conditio subiecti. Et si aliquo modo conueniat termino, conuenit ut  
 generalis conditio secundum quam non est possibile attendere  
 oppositum.

---

118 in mutabilitate] *omi.*: im mutabilitate  $\pi$

## Secunda pars distinctionis octaue

Sententia in generali et speciali secunde partis octaue distinctionis

[1] *Eademque sola proprietas*. Superius determinauit MAGISTER de diuina immutabilitate, hic determinat de diuina simplicitate. Et diuiditur in duas partes: primo enim proponit quid intendit; secundo probatur intentum. Secunda ibi: *Vt autem scias*. Et hec secunda diuiditur in duas: primo ostendit multiplicatam, secundo diuinam simplicitatem. Secunda ibi: *Deus uero* etc. Prima istarum diuiditur in duas: primo exclusit simplicitatem a creatura corporali, secundo a creatura spirituali. Secunda ibi: *Creatura spiritualis*. Et cum hoc sequatur illa pars in qua ostendit diuinam simplicitatem, que diuiditur in duas partes: primo ostendit diuinam simplicitatem; secundo excludit omnia ab eo composita. Secunda ibi: *Quod autem in natura diuinitatis*. Hec autem diuiditur in tres: primo separat a Deo accidentium predicationem, per quod habetur quod non est in ipso compositio accidentis et subiecti; secundo excludit quod nec substantia de ipso proprie predicatur; tertio ostendit quod in eo nulla est compositio. Secunda ibi: *Vnde non proprie dicitur*. Tertia ibi: *Huius autem essentie simplicitas*. Hec est diuisio | et sententia in generali.

[2] In speciali uero sic procedit MAGISTER et proponit primo quod essentia Dei simplex est, quia in Deo nulla est diuersitas siue

1.8.4,4 Eademque] *scr. am Lombardo*: Eadem que π | proprietas] proprie *Lomb.*  
15 diuinitatis] deitatis π 20 simplicitas] *scr. am Lombardo*: multiplicitas π

4 Eademque...proprietat] *Lomb.*, 98, 20 | 7 Vt...scias] *Lomb.*, 98, 22 | 9  
Deus uero] *Lomb.*, 99, 21 | 11 Creatura spiritualis] *Lomb.*, 99, 6 | 14  
Quod...15 diuinitatis] *Lomb.*, 100, 13 | 19 Vnde...dicitur] *Lomb.*, 100, 25-26  
| Huius...20 essentie] *Lomb.*, 101, 14-15 | 21 proponit...23 formarum] cf.  
*Lomb.*, 98, 19-25

accidentium siue formarum. Postea ostendit creature corporalis  
multiplicitatem. Et dicit quod in creatura corporali est utraque  
25 diuersitas secundum partium et accidentium siue formarum  
diuersitatem. Et ostendit postea quod creatura spiritualis est  
multiplex: licet enim in ea non sit diuersitas partium sicut in  
corporalibus, et quantum ad hoc simplex dicatur, unde anima est *tota*  
*in toto et tota in qualibet parte* corporis, est tamen in ea diuersitas  
30 accidentium, sicut determinat per exempla. Postea ostendit diuinam  
simplicitatem et dicit quod Deus est summe simplex nec obstat huic  
simplicitati pluralitas nominum que de Deo dicuntur, quia omnia  
unum significant; ab eadem enim natura et simplici habet Deus quod  
sub multiplicibus nominibus ei attribuantur. Postea ostendit quod in  
35 Deo non sunt alia accidentia discurrendo per singula predicamenta  
accidentis. Postea dicit quod substantia dicitur de Deo improprie,  
quia Deus nulli accidenti substat, et sic patet quod Deus propter  
suam simplicitatem in nullo genere est. Postea dicit Deum summe et  
omnino simplicem et ab eo omnem compositionem remoueri, quod  
40 ex hoc ostendit quod *Deus est quicquid habet*. Addit etiam ulterius  
quod hec simplicitas pluralitatem Personarum non excludit, cum  
dicitur Deus est quicquid hic intelligendum *excepto eo quod relative*  
*dicitur*. Et in hoc terminatur sententia in speciali, etc.

45

---

35 discurrendo] *coni.*: distrahendo  $\pi$

---

23 Postea...26 diuersitatem] cf. Lomb., 98, 27 - 99, 5 | 26 ostendit...30  
exempla] cf. Lomb., 99, 6-20 | 30 Postea...34 attribuantur] cf. Lomb., 99, 21 -  
100, 10 | 34 Postea...36 accidentis] cf. Lomb., 100, 12-23 | 36 Postea...38  
est] cf. Lomb., 100, 25 - 101, 12 | 38 Postea...40 habet] cf. Lomb., 101, 14 -  
102, 10 | 40 Addit...43 dicitur] cf. Lomb., 102, 11 - 25

Questio prima, que est quarta  
Vtrum Deus sit omnino simplex

[1] Circa istam partem distinctionis queritur de duobus in generali: primum est de simplicitate Dei; secundum est de simplicitate creature. Circa primum queritur utrum Deus sit omnino simplex. Et arguitur quod non, quia *omne quod melius est est Deo attribuendum; set apud nos composita sunt meliora simplicibus* (compositum enim melius est quam materia sola aut sola forma); ergo compositio est Deo attribuenda. 5 10

[2] Item in quocunque est pluralitas realis illud est realiter compositum; set in Deo est realis pluralitas relationum realium; ergo in ipso est realis compositio.

[3] In contrarium est quod dicit AUGUSTINUS VI De Trinitate quod *Deus vere simplex est et summe*. 15

[4] Responsio. Circa questionem dicenda sunt duo: primum est quod Deus non est compositus in se; secundum est quod non est alteri componibilis nec aliud sibi. Primum patet dupliciter. Primo ex primitate Dei supposito quod declaratum est prius, scilicet quod Deus est primus in entibus, et hoc sic: primum ens est primum unum; set Deus est primum ens; ergo est primum unum; set unum compositione non potest esse primum unum; ergo Deus non est unus compositione, set simplicitate. Quod autem primum unum non 20

---

1.8.5,4 partem] *scr.*: patem  $\pi$  18 componibilis] *con.*: compossibilis  $\pi$

2 Vtrum...simplex] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 4, 1 (218-220); *S.th.*, I, 3, 7-8 | 7 omne...10 attribuenda] cf. Thom., *S.th.*, I, 3, 7, arg 2 | 11 in...13 compositio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 4, 1, arg 4 (218) | 15 Deus...summe] cf. Aug., *De Trin.*, VI, 6, 8 (236, 3); 7, 7 (237, 1-7); VII, 1, 2 (249, 147-148); Thom., *S.th.*, I, 3, 7, sed contra

25 sit unum compositione, patet, quia sicut se habet ad entitatem, sic se  
habet unitas ad unitatem; set entitas compositi supponit entitatem  
partium; ergo unitas eius supponit unitatem cuiuslibet partis.

[5] Secundo patet idem ex eius causalitate supposito quod Deus  
causam non habet, sic: omne compositum habet causam; set Deus  
causam non habet, set est omnium prima causa; ergo Deus non est  
30 aliquid compositum. Minor supponitur, set maior probatur, quia  
duplex est compositio: una est ex materia et forma, quia substantia  
de qua nunc loquimur, cum de Deo querimus, non componitur nisi  
ex materia et forma; alia est compositio ex subiecto et accidente, de  
qua dicitur in secundo articulo. Quod autem compositum ex materia  
35 et forma causam habeat, patet; habet enim duas causas intrinsecas,  
scilicet materiam et formam ex quibus componitur, habet etiam  
causam efficientem, quia unio materie cum forma fit per agens quod  
introducitur forma in materia; unde PHILOSOPHUS VIII  
Metaphisice, cum quereretur quare ex materia et forma fit  
π37rb unum, dicit quod | non est aliqua causa nisi unum principium motus  
quod est causa agens. Item patet per rationem idem sic: omne illud  
quod de se non est necesse esse habet causam efficientem; set  
nullum compositum ex materia et forma est de se necesse esse; ergo  
omne tale habet causam efficientem. Maior patet, quia quod de se  
45 non est necesse esse potest non esse quantum est de se, imo etiam  
quantum est de se non esset; omne autem tale indiget aliquo  
reducente ipsum de non-esse ad esse, et illud est solum agens; quare  
etc. Minor probatur, quia non est maior necessitas compositi quam  
partium ex quibus componitur, imo minor; quero ergo de forma que  
50 est pars istius compositi utrum possit esse sine materia uel non. Si

---

40 non...41 agens] cf. Arist., *Metaph.*, VIII, 6, 1045a27-31

potest esse sine materia, compositum potest non esse, quia compositum non est nisi forma existente in materia; si autem forma non potest esse nisi in materia, ergo de se ipsa non est necesse esse excluso quocunque alio; si autem ipsa non est de se necesse esse, nec compositum. Idem potest probari ex parte materie. Et sic patet minor. Sequitur ergo conclusio. 55

[6] Secundum principale patet, scilicet quod Deus non est alii componibilis nec aliud sibi. Cum enim Deus sit substantia actu ens, si est alteri componibilis uel aliud sibi, talis compositio est subiecti et accidentis; set probo quod hoc non sit possibile, quia omne accidens 60 habet causam efficientem cum de se non sit necesse esse, eo quod non potest sine alio esse; ergo accidens quod esset in Deo aut esset tantum effectiue ab eo uel ab alio; non ab alio, quia tale accidens oportet quod dicat perfectionem simpliciter, talis non esset in Deo, set Deus cum sit perfectissimus et primum perfectum, habet ex se 65 quicquid perfectionis est et non ab alio, ergo tale accidens non esset effectiue in Deo ab alio; nec ab ipso, quia idem simplex et secundum idem et respectu eiusdem non potest esse in actu et in potentia, set Deus per essentiam suam simplicem respectu talis accidentis potest esse agens et in actu, ut tu dicis, ideo respectu eius non potest esse in 70 potentia et subiecto; ergo nullum accidens est ei componibile. Et confirmatur, quia quod est simpliciter et omniquaque perfectum non recipit additionem perfectionis; set Deus est summe perfectus; ergo non recipit additionem cuiuscunque perfectionis accidentalis.

[7] Ad primum argumentum dicendum quod quicquid bonitatis est 75 in creaturis, totum est Deo attribuendum. Et cum dicitur quod composita sunt meliora simplicibus, dico quod non in eo quod

---

58 aliud] *ani.*: aliud  $\pi$



composita, imo in hoc sunt minoris perfectionis et maioris  
 80 dependentie, ut declaratum est in corpore questionis; unde si ea que  
 sunt in composito essent in eo modo unico et simplici, perfectius  
 esse haberent. Et sic est in Deo; habet enim omnes perfectiones  
 compositum sicut esse subsistens quod non habet materiam neque  
 formam.

[8] Ad secundum dicendum quod realis pluralitas absolutorum in  
 85 eodem facit realem compositionem et talis pluralitas realis non est in  
 Deo; set realis pluralitas relationum inter se cum absoluto nullam  
 facit compositionem, sicut inferius declarabitur; talis autem solum est  
 in Deo et non illa que est absolutum; propter quod in ipso nulla est  
 compositio.

90

### Questio secunda

#### Vtrum anima componatur ex materia et forma

[1] Secundo queritur de simplicitate creature, et specialiter anime  
 5 rationalis, et queruntur duo: primum est utrum anima rationalis sit  
 composita ex forma et materia; secundum est utrum habeat partes  
 quantitativas, quod idem est quod querere utrum extendatur  
 extensione corporis uel sit tota in qualibet parte corporis. Ad  
 primum sic proceditur et arguitur quod anima sit composita ex  
 10 materia et forma, quia in habentibus ordinem posterius supponit  
 prius; set compositio materie cum forma prior est compositione

---

2 Vtrum...forma] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 5, 2 (227-232); *S.th.*, I, 75, 1 et 5

subiecti cum accidente, cum prima det esse simpliciter, secunda uero det esse secundum quid; cum ergo in anima sit compositio subiecti ad accidens, puta | essentie anime ad suas potentias, habitus et actus, uidetur quod in ea sit compositio materie ad formam, que ab alia supponitur tanquam prior. π37va  
15

[2] Item in per se ordinatis non peruenitur de extremo ad extremum nisi per medium; set inter ens in actu et nichil medium est pura potentia; ergo ex nichilo non peruenitur ad ens actu nisi per materiam, que est pura potentia; set anima facta est ex nichilo ens in actu; ergo est materia media et sic composita est ex materia et forma. 20

[3] In contrarium est quod dicit AUGUSTINUS VII Super Genesim ad literam, quod *anima non est nec ex materia corporali nec spirituali*.

[4] Responsio. Dicendum est absolute quod anima non est composita ex materia et forma. Cuius ratio est quia si anima esset composita ex materia et forma, preter istam materiam esset in homine quedam alia materia (alioquin homo et anima non differrent); ergo iste due materie aut sunt eiusdem rationis aut diuersarum. Si sint eiusdem rationis, aut utraque informatur aut totum compositum ex una materia cum forma informat aliam materiam. Istud autem secundum non potest dici, quia quod est pura potentia secundum se nullo modo potest esse actus; set materia que ponitur pars anime, si sit eiusdem rationis cum materia corporis, est pura potentia; ergo nullo modo competit esse actum uel partem actus; ergo nullo modo anima, ut dicit quid compositum ex materia et forma potest secundum se totam informare materiam corporis. 25  
30  
35

---

23 anima...24 spirituali] cf. Aug, *De Gen. ad lit.*, VII, 7-8 (206, 11 - 207, 29); Thom, S.th., I, 75, 5, sed contra

Nec simile est de quantitate que informatur albedine et nichilominus informat substantiam, quia quantitas non est pura potentia, set actus  
 40 quidam imperfectus et medius propter quem potest habere rationem potentie et actus respectu diuersorum. Relinquitur ergo quod utraque materia informatur eadem forma. Hoc autem est impossibile propter multa. Primo, quia due forme eiusdem rationis nec immediate nec ordine quodam possunt esse simul in eadem parte materie, nec pari  
 45 ratione due materie eiusdem rationis nec immediate nec ordine quodam possunt simul esse sub eadem forma.

[5] Secundo, quia quando due materie sunt eiusdem rationis et eisdem dispositionibus afficiuntur, si unio forme cum una earum est solubilis, et cum altera. Si ergo due iste materie que sunt in homine  
 50 sunt eiusdem rationis, cum perficiantur eisdem dispositionibus, eo quod sunt indistincte loco et subiecto, si unio forme cum altera earum est solubilis, eodem modo et cum reliqua. Sequitur ergo quod anima est corruptibilis per solutionem forme sue a materia, sicut homo, aut utrunque, scilicet tam homo quam anima, est aliquid  
 55 incorruptibile, quorum utrunque est falsum.

[6] Tertio, quia queram per quid ille materie distinguntur, non secundum genus, quia in pura potentia in quantum huiusmodi non est distinctio, maxime cum loquamur de pura potentia eiusdem rationis, nec per formam que est una et utranque perficit, nec per  
 60 quantitatem cum sint indistincte loco et subiecto, nec per alias dispositiones per eandem rationem, et iterum quia talis distinctio esset solum per accidens; impossibile est ergo quod ille materie sint eiusdem rationis. Si dicatur quod ille materie efficiuntur una dum anima est in corpore, sequitur quod anima aut non est in corpore  
 65 composita et ita non est eadem coniuncta et separata, aut si sit in corpore composita et in homine uiuente non sit nisi una materia,

non differunt homo et anima, que omnia sunt absurda secundum philosophiam et periculosa secundum fidem.

[7] Quarto, quia eadem forma nata est dare idem esse precipue materie eiusdem rationis; ergo forma que ponitur pars anime, cum maneat eadem per se, dabit omni materie eiusdem rationis idem esse; ergo si ex ipsa cum una materia resultat anima simpliciter, ex ipsa cum alia materia resultabit eadem anima uel alia et ita erunt due anime et unus homo, nisi dicatur quod homo est duplex anima, quod est absurdum; nullo modo possunt ille due materie esse eiusdem rationis. Si uero dicatur quod sint alterius rationis, propter hoc quod aliquibus uidetur inconueniens ponere materias diuersarum rationum, si utraque sit pura potentia ad esse, pro eo quod in pura potentia non est gradus, res autem diuersarum in rationum necessario sunt in diuersis gradibus, adhuc est speciale inconueniens, quia ille materie | non sunt diuersarum rationum que perficiuntur per eundem actum cum ratio potentie sumatur ex actu; set iste perficiuntur eodem actu, scilicet forma que est altera pars anime; ergo non sunt diuersarum rationum. Et sic patet primum, scilicet quod anima non est composita ex materia et forma.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod compositio materie cum forma prior est compositione subiecti cum accidente in eodem, quia materia non recipit formam accidentalem nisi recepta prius forma substantiali. Simpliciter autem compositio subiecti cum accidente prior est compositione materie cum forma. Non enim sunt aliqua magis et minus composita per maiorem et minorem accessum ad aliquid compositum summe, set per maiorem et minorem recessum ab eo quod est summe simplex. Et ideo minima compositio est prima, qualis est illa que est subiecti et accidentis;

95 summa compositio est extrema, qualis est illa que est ex materia et  
 forma substantiali; unde ubicunque est hec posterior, est illa prior et  
 non econuerso.

[9] Ad secundum dicendum quod inter ens et nichil potest materia  
 seu ens in potentia habere rationem medii dupliciter. Vno modo  
 100 secundum ordinem compositionis et resolutionis; et hoc modo  
 materia est medium inter ens materiale compositum et nichil, et tale  
 ens actu est compositum ex materia et natum resolui in materiam; sic  
 autem non est materia materie inter animam et nichil. Alio modo  
 potest materia uel ens in potentia habere rationem medii inter ens et  
 105 nichil secundum dignitatem; et sic non solum materia, set omnia que  
 sunt inter materiam primam et animam sunt media ex quibus tamen  
 oportet animam esse compositam.

### Questio tertia

Vtrum anima tota sit in qualibet parte corporis

uel in toto fit extensa

5 [1] Ad secundum sic proceditur. Et uidetur quod non tota anima sit  
 in qualibet parte corporis, quia *totum est extra quod nichil est* III  
 P h i s i c o r u m. Si ergo tota anima esset in qualibet parte corporis,  
 nichil de anima esset in aliis partibus, quod est inconueniens.

---

1.8.6,95 extrema] *ani.*: extrà π

2 Vtrum...3 extensa] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 8, 5, 3 (232-234); *S.th.*, I, 76, 8 |  
 6 totum...est<sup>2</sup>] Arist., *Phys.*, III, 6, 207a8-9

[2] Item ponamus quod aliquis natus fuerit sine manu, postea per miraculum addatur ei manus, talis manus non uiuificaretur per animam de nouo creatam, quia tunc due anime essent in eodem supposito, quod est inconueniens; ergo per animam prius existentem; set hoc non potest esse nisi per motum localem uel extensionem; non per motum localem, quia talis motus non competit anime in corpore suo (quod enim mouetur localiter accedendo ad unum locum dimittit alium; et sic oporteret quod anima tendens ad uiuificandum illam partem, dimitteret alias partes quas uiuificabat, quod est inconueniens); relinquitur ergo quod per extensionem. 10 15

[3] In contrarium est quod dicit AUGUSTINUS VI De Trinitate capitulo 6°, quod *in quocunque corpore in toto est tota anima et in qualibet parte tota.* 20

[4] Et arguitur per rationem. Si anima esset quanta per se uel accidens, nullo modo intelligeret uniuersale, quia quod recipitur in quanto recipitur situationaliter et non ducit in cognitionem nisi alicuius situationaliter existentis hic et nunc, et tale est solum singulare. Si ergo anima esset quanta, id quod reciperetur in ea reciperetur situationaliter nec duceret nisi in cognitionem singularis existentis hic et nunc, quod est inconueniens. 25

[5] Responsio. Cum totum sit quod habet partes, sicut contingit accipere triplex genus partium, sic et triplicem totalitatem. Est enim quedam totalitas que est ex diuersis partibus essentialibus, que sunt materia et forma; est et alia totalitas que est ex partibus quantitatis, ut in toto continuo; est etiam alia que est secundum partes uirtuales 30

---

1.8.7,15 enim] *coni.*: etiam  $\pi$

---

20 in<sup>1</sup>...21 tota] Aug, *De Trin.*, VI, 6, 8 (237, 24-25); cf. Thom., *S.th.*, I, 76, 8, sed contra | 29 Cum...49 quanta] cf. Thom., *S.th.*, I, 76, 8, resp.

siue potentiales. Prima totalitas non conuenit anime, ut patet ex  
 35 precedenti questione. Tertia totalitas conuenit et precipue secundum  
 opinionem que ponit potentias anime differre ab essentia, secundum  
 π38ra quam totalitatem anima non est tota in qualibet parte corporis, | set  
 secundum aliam et aliam partem potentialem est in alia et alia parte  
 corporis, ut secundum uisum in oculo, secundum auditum in aure.

40 [6] De secunda autem totalitate est dubium utrum insit anime. Et  
 sunt circa hoc tres opiniones. Prima est quod nulla forma  
 substantialis est quanta uel habens totalitatem partium  
 quantitatarum. Quod probatur sic: si forma substantialis esset  
 aliquo modo quanta, scilicet extensa, uel hoc esset ratione sui uel  
 45 ratione subiecti in quo recipitur; non ratione sui cum hoc sit  
 proprium quantitatis, nec ratione subiecti in quo recipitur, quia  
 immediatum subiectum forme substantialis est prima materia, que de  
 se non est quanta aut diuisibilis; ergo forma substantialis nullo modo  
 est quanta.

50 [7] Quicquid autem sit de conclusione, illa ratio non ualet, quia ad  
 hoc quod forma substantialis sit quanta per accidens, non requiritur  
 quod recipiatur in subiecto quanto, set sufficit quod sit subiectum  
 uel pars subiecti recipientis quantitatem; unde secundum omnes  
 materia extenditur et est quanta, non per se nec quia sit in subiecto  
 55 quanto, set quia est subiectum uel pars subiecti quanti; clarius enim  
 est quod subiectum uel pars subiecti quantitatis afficitur et  
 denominatur a forma sibi inherente, quam econuerso. Et ideo licet  
 forma substantialis non recipiatur in materia quanta, quia tamen est  
 subiectum uel pars subiecti quantitatis, sicut et materia, uidetur posse  
 60 esse quanta per accidens.

---

56 afficitur] *coni.*: afficiatur π

[8] Secunda opinio est quod inter formas substantiales omnes forme inanimatorum sunt quante per accidens. Nulla autem anima est per accidens quanta. Quod probatur tripliciter. Primo sic: illa forma que non respicit equaliter totum et partem nec equaliter denominat totum et partem, non est quanta per accidens, quod forma quanta 65 per accidens equaliter denominat totum et partem, ut patet de albedine et consimilibus; set anima non equaliter denominat totum et partem (non enim quelibet pars animalis est animal, sicut quelibet pars ignis est ignis); quare etc. Secundo sic: forma que est quanta per accidens non requirit diuersitatem in partibus, quia conditio quanti 70 est habere partes unius rationis; set anima requirit in suo perfectibili diuersitatem partium; ergo etc. Tertio sic: forma que non habet easdem operationes in toto et in omnibus partibus non est quanta per accidens; set talis est omnis anima, quia habet diuersas operationes in diuersis partibus sui perfectibilis; ergo nulla anima est 75 quanta per accidens. Et per easdem rationes apparet quod forme inanimatorum sunt quante per accidens, quia equaliter denominant totum et partem nec requirunt diuersitatem sui perfectibilis, habent etiam similes operationes in omnibus partibus (exemplum de igne et consimilibus). 80

[9] Ista autem opinio non habet ueritatem, quia secundum PHILOSOPHUM II De anima plante et quedam animalia decisa uiuunt *tanquam anima in his existente actu quidem una, potentia uero plures*. Ex hoc sic arguitur: in partibus plantarum et animalium decisorum est anima; ergo per solam diuisionem uel per nouam generationem; 85 non per nouam generationem, quia nullum generans apparet nec talis alteratio qualis consueuit secundum naturam precedere

82 plante...83 plures] cf. Arist., *De an.*, I, 5, 411b19-21; II, 2, 413b16-21; *Auct. Ar.*, 6, 51 (178, 79-80)



generationem; ergo est ibi per solam diuisionem; set illud quod  
 diuiditur diuisione alterius extenditur extensione illius; ergo anime  
 90 plantarum et animalium aliquorum extenduntur et sunt quante per  
 accidens. Nec rationes concludunt in aliquo: prima non, quia in nullo  
 repugnat forme quante requirere diuersitatem in partibus et habere  
 diuersas operationes in eis et per consequens diuersimode  
 denominare totum et partem; ex quibus procedunt ille tres rationes.  
 95 Hec enim licet non conueniant anime, quia quanta est (partes enim  
 quantitatis, in quantum quante sunt, unius rationis sunt), tamen  
 competunt ei, in quantum est perfectior formis inanimatorum;  
 propter hoc enim est principium plurium operationum et per  
 consequens requirit diuersas dispositiones secundum quantitatem in  
 100 partibus sui perfectibilis, mediantibus quibus exercet illas diuersas  
 operationes, et sic diuersimode denominat totum et partem et ipsas  
 partes adinuicem; nec rationes declarant oppositum nisi per  
 π38rb exemplum in rebus inanimatis, quod non sufficit, | quia illa non  
 competunt formis inanimatorum, non quia quante, set quia  
 105 imperfecte in quibus exceduntur a formis animatorum.

[10] Tertia opinio est quod omnes forme que educuntur de potentia  
 materie extenduntur et sunt quante per accidens, et tales sunt omnes  
 forme naturales excepta anima rationali, et istius assignatur duplex  
 causa. QUIDAM assignant hoc pro causa, quia forma que educitur de  
 110 potentia materie sic educitur quod pars educitur de parte et totum de  
 toto; et ideo tota forma recipitur in tota materia et pars in parte, et  
 non tota in parte, et hoc est extendi et esse quantum per accidens.

[11] Ista autem ratio in nullo dat causam extensionis, set petit quod  
 debet probare. Quod patet sic: sicut forma preexistit in potentia

---

91 prima]‡ *coni.*: Primam π

passiua materie ante generationem, ita preexistit in potentia actiua 115  
agentis; set forma non sic dicitur esse in potentia agentis quod ipsa  
tota uel aliquid eius preexistat in agente, set solum quia in uirtute  
agentis est eam producere; ergo eodem modo forma non dicitur  
preexistere in potentia passiua materie nec de ea educi, quia forma  
uel aliquid eius materie preexistat in materia, set solum quia per 120  
agens naturale potest ad ipsam transmutari et ipsam recipere. Ex hoc  
sic arguitur: sicut forma educitur de potentia passiua materie, sic et  
forte uerius educitur de potentia actiua forme agentis; set nos non  
dicimus quod tota forma geniti educatur de tota forma generantis et  
pars de parte; ergo non debemus dicere quod tota forma geniti 125  
educitur de tota materia et pars de parte. Secundo, quia materia non  
habet partem nisi per quantitatem, et similiter est de forma ita quod  
totalitas et partialitas est formaliter ipsa quantitas uel per  
quantitatem, ut magis patebit inferius; igitur si forma substantialis  
educatur de materia tota de tota et pars de parte, iam materia et 130  
forma supponitur quanta; hoc autem est quod nunc de forma  
queritur; ergo supponitur quod petitur. Item quod dicitur quod  
forma que educitur de potentia materie pars in parte recipitur,  
ueritatem non habet; forma enim substantialis recipitur in materia  
ante omnem quantitatem, saltem secundum ordinem nature; set 135  
preter quantitatem non est in materia, neque in forma totum et pars,  
ut dictum est; ergo receptione forme in materia non est assignare  
quod pars recipiatur in parte nec totum in toto accipiendo proprie  
`totum` pro eo quod habet partes, set solum accipiendo `totum` pro  
perfecto, quia *`totum` et `perfectum` idem sunt*, ut habetur III 140

---

133 potentia] *scr.*: potentia  $\pi$

---

140 `totum`...sunt] cf. Arist., *Phys.*, III, 6, 207a13-14

Phisicorum (*cuius enim nihil est extra ipsum est totum et perfectum*,  
 ut ibidem dicitur); ista ergo non est sufficiens causa quod forma  
 educta de potentia materie extendatur ita quod pars educatur de  
 parte materie et recipiatur in parte.

- 145 [12] Secunda causa que assignatur est talis: ubicunque forma sic  
 dependet a materia quod ipsa secundum naturam nullo modo esset  
 nisi esset in materia, omnis talis forma sequitur conditiones materie  
 in omnibus, scilicet in extendi et operari et omnibus aliis, et causa est  
 quia esse est fundamentum presuppositum a posterioribus  
 150 perfectionibus, propter quod illud quod dependet a materia quo ad  
 esse dependet quo ad perfectiones posteriores; nunc est ita quod  
 omnes forme que educuntur de potentia materie sic dependent a  
 materia quod secundum naturam nullo modo essent nisi essent in  
 materia; ergo sequuntur conditiones materie in omnibus aliis, scilicet  
 155 in extendi et operari; et tales sunt omnes forme, non solum  
 inanimatorum, set etiam animalium quantumcunque perfectorum  
 preter hominem. Et ideo omnes extenduntur quantumcunque sint  
 perfecte preter animam humanam et diuiduntur diuiso toto;  
 ueruntamen aliquae earum manent diu post diuisionem, sicut in  
 160 plantis et in animalibus annulosis, licet minus quam in plantis, aliquae  
 autem uel cum sua diuisione corrumpuntur uel, si maneant, hoc est  
 per minimam morulam temporis, sicut conuenit animalibus perfectis,  
 et causa huius permanentie maioris uel minoris est perfectio forme  
 maior uel minor, quia forma magis perfecta requirit in suo  
 165 perfectibili maiorem diuersitatem in organis propter hoc quod est

---

152 dependent] *scr.*: dependet  $\pi$  154 conditiones] *scr.*: cunditiones  $\pi$

141 cuius...perfectum] cf. Arist., *Phys.*, III, 6, 207a8-9; *Auct. Ar.*, 2, 110 (148, 77)

principium plurium operationum, et ideo post diuisionem sui perfectibilis aut non manet aut minus manet; et hoc dicit PHILOSOPHUS in fine I | De anima post uerba prius allegata π38va  
dicens sic: *Si autem non permanent, nullum est inconueniens; instrumenta enim non habent quibus saluent naturam.* Vnde perfectioni forme educte 170  
de potentia materie non repugnat extendi uel diuidi, sicut QUIDAM putant, set tantum ei repugnat diu manere post diuisionem. Anima autem intellectiua non dependet sic a materia quantum ad esse, sicut probat eius separatio, et ideo non sequitur conditiones materie, nec in operari nec in extendi, nec in aliis que perficiunt materiam; unde 175  
anima intellectiua in corpore nec extenditur quantitate nec afficitur aliqua qualitate materie, quod tamen patiuntur omnes alia forme.

[13] Hec autem causa licet accedat ad ueritatem, tamen sufficit nisi plus addatur, quia quantumcunque forma dependeat a materia, ita ut sine ea esse non possit, non oportet tamen propter hoc quod 180  
afficiatur omnibus dispositionibus quibus materia afficiatur, nisi illa forma sit ratio receptiua talium dispositionum uel econuerso; uerbi gratia sapor dependet a materia uel a subiecto actu ente tamquam ab illo sine quo non potest esse; et idem est de colore, set quia color non est ratio recipiendi saporem nec econuerso, ideo sapor non 185  
afficitur colore nec color sapore; unde non est uerum dicere quod sapor lactis sit albus nec albedo sapida, quamuis idem subiectum afficiatur utroque, et similiter, ut uidetur, si forma substantialis non est ratio receptiua quantitatis nec econuerso, quantumcunque ipsa 190  
dependeat necessario a materia, nunquam tamen propter hoc afficietur quantitate ita ut ipsa sit realiter quanta, sicut nec sapor realiter albus; talia enim non afficiunt se mutuo, quamuis afficiant

---

169 Si...170 naturam] Arist., *De an.*, I, 5, 411b22-24

idem commune subiectum. Si autem forma substantialis sit ratio  
receptiua quantitatis, tunc uidetur quod debeat affici quantitate et  
195 extendi. Et si in homine non est alia substantialis forma ab anima  
rationali, tunc anima rationalis erit in homine ratio receptiua  
quantitatis, sicut alie forme substantiales in ceteris rebus, et sic  
augmentabitur difficultas. Quare anima rationalis non est quanta et  
alie forme substantiales sunt quante, cum omnes forme substantiales  
200 conueniant cum anima rationali in hoc quod sunt ratio receptiua  
quantitatis; uidetur enim quod implicetur contradictio, si dicatur  
quod subiectum quantitatis uel ratio eius receptiua non sit quanta,  
sicut si diceretur quod subiectum albedinis et ratio eius receptiua non  
sint alba.

205 Propter hoc dimittendo ad presens difficultatem predictam, quia in  
sequenti questione inquiretur de ea, [14] reddenda est alia causa  
quare anima rationalis non est quanta sicut ceterae forme  
substantiales. Et est talis, quia omnis res que est pure et simpliciter  
corporalis est capax passionis seu proprietatis que est per se et  
210 simpliciter et inseparabiliter conditio corporeitatis; set materia et  
omnis forma generabilium corruptibilium sub anima rationali est  
pure et simpliciter corporalis, quia non sunt nec esse possunt per  
naturam nisi in corpore cuius sunt per se partes, anima autem  
rationalis, quamuis sit per se pars compositi corporalis, tamen non  
215 est inseparabiliter; propter quod cum tam materia quam ceterae forme  
sub anima rationali sint res corporales pure et simpliciter, capaces  
sunt non secundum se, set in toto quantitatis, que est passio uel  
proprietatis per se et inseparabiliter rerum corporalium, nec substantia  
dicitur corpus, nisi quia est talis natura que est capax quantitatis que  
220 etiam in suo genere uocatur corpus, anima autem propter sui  
separabilitatem a corpore non est capax quantitatis, quia non est pura

res corporalis, quamuis sit pars compositi corporalis et causa partialis  
 recipiendi quantitatem, supposito quod in homine non sit alia forma  
 substantialis preter animam. Qualiter autem anima possit esse causa  
 receptiua quantitatis et non sit quanta, in questione sequenti dicitur. 225

[15] Ad rationes. Ad primam dicendum quod totum est extra quod  
 nichil est: uerum est secundum omnimodam et ueram rationem  
 totius, et sic anima et quelibet forma non est tota nisi ubi est in  
 aliquo, sicut in proprio subiecto proportionato perfectibili; hoc  
 autem modo anima non est in aliqua parte tota, set solum in toto 230  
 corpore perfecto non carente aliqua parte debita speciei secundum  
 naturam. Et ideo anima non est extra proprium proportionatum  
 perfectibile, est tamen extra singulam partem illius perfectibilis.

| [16] Ad secundum dicendum quod in membro de nouo addito per 235  
 miraculum est anima, non per creationem noue anime ut partis, set  
 eadem que prius perficiebat totum sine parte nunc perficit totum  
 cum parte; nec istud est per motum localem anime, set per unionem  
 et concomitantiam partis ad totum; licet enim illud quod est alicubi  
 sicut in loco non incipiat sicut in loco nisi per motum localem,  
 tamen id quod est in aliquo sicut forma in materia potest de nouo 240  
 esse in aliena materia sibi adiuncta non per motum localem, sicut  
 anima de nouo unitur materie nutrimenti uniti corpori animalis et  
 conuersi in ipsum; et hoc fit non per motum anime, set per unionem  
 alimenti ad corpus prius animatum, et sic fieret in proposito  
 concurrente miraculo. 245

[17] Ad rationes autem alterius partis: quamuis sint ad conclusionem  
 ueram, tamen quia alique non bene procedunt, ideo ad eas  
 respondendum est. Et primo ad autoritatem beati AUGUSTINI, quia

---

223 sit] *cori.*: sint  $\pi$

250 beatus AUGUSTINUS eque loquitur ibi de anima sensitua etiam in  
 quocunque bruto, sicut de anima intellectua; dicit enim sic VI De  
 Trinitate capitulo 6<sup>o</sup>: *Anima non mole diffunditur per spatium loci, set*  
*in unoquoque corpore et in toto tota est, et in qualibet parte eius est; et ideo cum*  
*sit aliquid in quamuis exigua particula corporis quod sentiat anima, quamuis*  
*non fiat in corpore toto, illa tamen tota sentit, quia tota non latet.* Ecce quod  
 255 beatus AUGUSTINUS dictum suum probat de anima sensitua et per  
 actum sentiendi communem nobis et omnibus brutis; et tamen  
 MULTI tenent et ueritas habet quod anima sensitua in quibusdam  
 brutis et forte in omnibus extenditur extensione corporis. Oportet  
 ergo uel quod dictum AUGUSTINI intelligatur de omni et in omni  
 260 animato, et tunc reputabitur falsum ab omnibus tenentibus dictum  
 ARISTOTILIS prius allegatum, quod plante et quedam animalia decisa  
 uiuunt, uel quod aliter exponitur quam de exclusionem extensionis  
 quantitatie.

[18] Ad aliud, cum dicitur quod si anima esset quanta non  
 265 cognosceret uniuersale, dicendum est quod falsum est. Et ad  
 probationem respondendum est quod dato quod anima esset quanta  
 per accidens, non oporteret quod talia reciperentur in ea quantitatie  
 et situatiter.

[19] Set dato quod sic reciperentur in anima, non sequeretur quod  
 270 ducerent solum in cognitionem singularis situatiter existentis, quia si  
 solum ducerent, hoc esset uel ratione singularitatis uel ratione  
 quantitatis; non ratione singularitatis, quia secundum ISTOS aliquid  
 existens in intellectu ducit in cognitionem uniuersalis; et tamen omne

---

253 sit] *an scrib. cum Augustino fit?* | quamuis<sup>1</sup>] *scr. cum Augustino: quauis π*

251 non...254 latet] *Aug., De Trin., VI, 6, 8 (237, 23-27)* | 261 plante...262  
 uiuunt] *cf. Arist., De an., I, 5, 411b19-21*

quod est subiectiue in intellectu est quoddam singulare; ergo non  
 obstante singularitate eius quod recipitur in anima, adhuc posset 275  
 ducere in cognitionem uniuersalis. Nec iterum talis representatio  
 posset impedire quin illud representatiuum esset quantum, quia  
 magis opponitur rationi uniuersalis singularitas quam quantitas; set  
 singularitas non impedit talem representationem, ut dictum est; ergo  
 nec quantitas. 280

[20] Et iterum dato quod essentia anima esset quanta, non oporteret  
 tamen potentiam intellectiuam esse quantam, sicut oporteret  
 intellectum esse actum corporis, quamuis anima intellectiua sit actus  
 corporis, quia potentia intellectiua inest anime secundum se et non  
 quatenus perficit corpus. Cum ergo que representant uniuersale 285  
 recipiantur in potentia intellectiua et non in essentia anime, nullus  
 autem ponit potentiam intellectiuam extendi extensione corporis,  
 nichil predictorum sequeretur, dato quod poneretur essentia anime  
 extendi.

[21] Efficacior autem uia quam ista sit ad ponendum animam non 290  
 esse quantum, est illa que sumitur diuisione quanti, quia quod  
 extenditur extensione corporis diuiditur diuisione corporis; set anima  
 humana non diuiditur diuisione corporis; ergo non extenditur  
 extensione eius. Maior patet ex ratione quanti, quia esse *quantum* est  
*diuisibile*, ut habetur V Methaphisice. Minor probatur, quia si 295  
 facta diuisione alicuius partis corporis a toto anima diuideretur, aut in  
 parte diuisa remaneret anima aut non; si remaneret, tunc anima una  
 per diuisionem fieret due, quod prima facie est non solum  
 inconueniens | in philosophia, set erroneum in fide. Et iterum anima  $\pi$ 39ra

---

277 quin] *coni.*: quia  $\pi$

---

294 esse...295 diuisibile] cf. Arist., *Metaph.*, V, 13, 1020a7



300 illa parte cessante uiueret aut corrumperetur et sic anima rationalis  
 esset corruptibilis, quod adhuc est erroneum, aut separaretur; et sic  
 quot partes corporis diuiderentur a corpore, tot anime separarentur  
 partibus illis cessantibus uiuere, quod iterum est eque erroneum. Si  
 uero in parte diuisa non remaneret anima, que tamen erat ibi prius  
 305 per extensionem secundum positionem que dicit eam esse quantam,  
 adhuc non uidetur quod hoc possit esse, nisi per sui corruptionem  
 uel separationem, ut prius; nec legi ad hoc claram ac sufficientem  
 responsionem, quamuis dentur aliquę euasiones. Vnde eadem ratione  
 seu fide qua tenetur quod anima sit incorruptibilis tenendum est  
 310 quod ipsa non est quanta nec extensibilis.

#### Questio quarta

Quid est ratio recipiendi quantitatem, an materia an forma

[1] Deinde queritur de hoc quod suppositum est, uidelicet utrum sola  
 5 materia sit ratio recipiendi quantitatem uel sola forma uel totum  
 compositum. Et arguitur quod sola materia, quia si forma uel totum  
 compositum ratione utriusque partis esset immediatum receptiuum  
 quantitatis, sequeretur quod anima rationalis esset quanta saltem per  
 accidens; set hoc est falsum, ut patet ex precedente questione; ergo  
 10 et illud ex quo sequitur probatio consequentie, quia immediatum  
 receptiuum quantitatis oportet esse quantum, saltem per accidens; set  
 supposita unitate forme in homine anima est immediatum  
 receptiuum quantitatis, uel totale si sola forma sit immediata ratio

receptiua quantitatis, uel partiale si totum compositum sit immediate  
receptiuum ratio utriusque partis; ergo oporteret ipsam esse quantam 15  
saltem per accidens.

[2] Item quedam accidentia sunt que conueniunt supposito ratione  
soliu forme, sicut homini conuenit intelligere ratione soliue anime;  
ergo pari ratione aliqua accidentia conueniunt composito ratione  
soliue materie; set tale accidens maxime uidetur esse quantitas, que 20  
est primum accidens inter accidentia corporalia; ergo etc.

[3] In contrarium est quod dicit ARISTOTILES in fine I  
Phisicorum, quod *materia cum forma est causa omnium accidentium que*  
*sunt in ea, sicut mater*, hoc est subiectiue et receptiue; ergo sola  
materia nullius accidentis est subiectum, set cum forma. 25

[4] Responsio. Ad questionem istam dicunt QUIDAM quod sicut ex  
parte agentis est considerare id quod agit et rationem agendi, sic ex  
parte patientis seu recipientis est considerare illud quod recipit et  
rationem recipiendi; dicunt ergo quod illud quod recipit quantitatem  
est ens actu, uidelicet compositum ex materia et forma; set ratio 30  
recipiendi est sola materia, tamen ordine nature preexigitur forma  
substantialis in materia ante quantitatem, non quidem ut ratio  
recipiendi quantitatem, set ut terminans dependentiam materie, que  
non potest actu esse nisi per formam substantialem; et per hoc  
nituntur saluare quod anima rationalis non sit quanta, dato quod in 35  
homine non sit alia forma preter eam, dicendo quod subiectum  
quantitatis tam illud quod recipit, scilicet compositum, quam illud  
quod est ratio recipiendi, scilicet materia, est quantum; set anima et

---

1.8.8,14 uel] *coni.*: ut  $\pi$

23 materia...24 mater] cf. Arist., *Phys.*, I, 9, 192a13-14; *Auct. Ar.*, 2, 30 (142, 47-49)

uniuersaliter quecunque forma substantialis nec est subiectum quod  
 40 recipit, quia illud est compositum, nec ratio recipiendi, quia illud est  
 sola materia, quamuis forma sit pars compositi et preexistat in  
 materia ante quantitatem ordine nature, ut terminans eius  
 dependentiam, et non ut ratio receptiua quantitatis, propter quod  
 45 ARISTOTILIS, que uidetur in oppositum, dicunt quod intelligitur sic,  
 uidelicet quod materia cum forma, idest compositum quod includit  
 utrumque, est subiectum quod recipit quantitatem quodcunque  
 accidens. Et iterum prius ordine nature est materia cum forma  
 50 substantiali quam recipiat quodcunque accidens propter  
 dependentiam quam habet ad formam substantialem; et tamen forma  
 π39rb | non est ratio receptionis quantitatis, set sola materia: propter quod  
 non oportet eam esse quantam sicut materiam.

[5] Istud autem non placet ALIIS et merito propter multa. Primo, quia  
 hec adiuuentio nulla ratione fulcitur ab istis, set est mere conficta ad  
 55 euadendum difficultatem prius positam, quia non apparet eis  
 quomodo possint saluare animam non esse quantam nisi predicto  
 modo. Secundo, quia sic euadendo predictum inconueniens incidunt  
 in maius, quia quod dicunt de anima, quod non sit quanta per  
 accidens, necessario habent dicere de omni forma substantiali per  
 60 eandem rationem, quod patet sic: illud quod non est ratio recipiendi  
 quantitatem, nec quantitas est ratio recipiendi ipsum, nullo modo est  
 quantum (hec enim est ratio propter quam dicunt animam non esse  
 quantam); set omnis forma substantialis est huiusmodi, quia non est  
 ratio recipiendi quantitatem, set sola materia, ut ISTI dicunt, nec  
 65 quantitas est ratio recipiendi aliquam formam substantialem, quia  
 secundum EOSDEM forma substantialis precedit quantitatem in  
 materia; ergo nulla forma substantialis erit quanta per accidens, sicut

nec anima humana. Hoc autem est manifeste falsum, quia quod diuiditur diuisione quantitatis, hoc est in partes eiusdem rationis, extenditur extensione quantitativa, quia diuidi in partes eiusdem rationis est de ratione diffinitiva quanti, ut patet V Methaphisice; set forme corporum inanimatorum necnon et plantarum et quorundam animalium diuiduntur tali diuisione, ut sensus docet et ARISTOTILES II De anima dicit, quod plante et quedam animalia decisa uiuunt *tanquam anima in his existente in actu quidem una, potentia uero plures*; ergo extenduntur extensione quantitativa. 70 75

[6] Ad hoc respondent PREDICTI dicentes quod formas alias ab anima humana esse quantas potest contingere, non ex hoc quod sint ratio receptiva quantitatis, uel econuerso, set quia sunt forme necessario dependentes a materia et educte de potentia materie, et ideo sequuntur conditionem materie in hoc quod est extendi; non sic autem anima humana, que est separabilis a materia nec est educta de potentia materie. Istud autem non uidetur sufficienter dictum, quia quantumcunque forma dependeat a materia, nunquam tamen propter hoc afficitur conditionibus uel dispositionibus materie, que non sunt ratio receptiva forme, nec econuerso (uerbi gratia sapor dependet a materia uel a subiecto actu ente tanquam a ratione receptiva sine qua nullo modo potest esse sapor, et idem est de colore); set quia unum non est ratio recipiendi aliud uel econuerso, unum non afficitur alio ut sit uerum dicere quod sapor sit albus in lacte uel albedo sapida, quamuis in concreto accipiendo utrumque sit uerum dicere, quod album sit sapidum, et quod sapidum sit album propter identitatem subiecti quod importatur per concretum 80 85 90

---

70 diuidi...71 quanti] cf. Arist., *Metaph.*, V, 13, 1020a7 | 74 plante...76 plures] cf. Arist., *De an.*, I, 5, 411b19-21; II, 2, 413b16-21; *Auct. Ar.*, 6, 51 (178, 79-80

95 utrumque. Et similiter uidetur si forma substantialis non sit ratio  
 receptiua quantitatis nec econuerso, ut ISTI dicunt: quantumcunque  
 ipsa dependeat a materia, nunquam tamen propter hoc afficietur  
 quantitate ita quod ipsa sit realiter quanta, sicut nec sapor est realiter  
 albus; talia enim non afficiunt se mutuo, quamuis afficiant idem  
 100 commune subiectum, ut prius dictum fuit.

[7] Tertio, quia illa adinuentio, scilicet quod materia sola sit ratio  
 recipiendi quantitatem est secundum se falsa. Quod patet primo,  
 quia diuersitas actuum genere remoto differentium requirit  
 diuersitatem priorum receptorum; set forma substantialis et  
 105 accidentalis sunt actus genere remoto differentes; ergo requirunt  
 diuersa propria receptiua; set proprium et immediatum receptiuum  
 forme substantialis est sola materia; ergo ipsa sola non est proprium  
 et immediatum receptiuum quantitatis. Ad hoc respondetur  
 dupliciter: primo, quia diuersitas actuum requirit diuersitatem  
 110 recipientium accipiendo `recipiens` pro eo quod recipit, set non pro  
 eo quod est ratio recipiendi, et sic est in proposito, quia illud quod  
 recipit substantialem formam est sola materia, quod autem recipit  
 formam accidentalem est compositum, et hec sunt diuersa; set illud  
 quod est causa recipiendi utrumque est unum et idem, scilicet  
 π39va materia prima. Secundo respondetur sic, | quia illud quod est  
 receptiuum talium diuersorum actuum non oportet quod sit aliud et  
 aliud, set potest esse idem aliter se habens; et sic est in proposito,  
 quia materia secundum se recipit substantialem formam, set  
 accidentalem non recipit nisi terminata prius sua dependentia per  
 120 formam substantialem, quamuis forma substantialis non sit ratio  
 recipiendi accidentalem.

[8] Contra primam responsionem arguitur sic ex dicto eorum: sicut  
 ex parte agentis respectu actus procedentis ab agente est dare illud

quod agit et rationem agendi, ita ex parte recipientis respectu actus  
 recepti est dare illud quod recipit et rationem recipiendi; set 125  
 diuersitas actuum procedentium ab agente magis arguit diuersitatem  
 principiorum que sunt rationes agendi quam diuersitatem agentium;  
 ergo diuersitas actuum receptorum magis arguit diuersitatem  
 rationum recipiendi quam ipsorum recipientium (cuius oppositum  
 IPSI dicunt). Minor patet, quia idem agens per diuersa principia que 130  
 sunt rationes agendi producit diuersos actus; et si in diuersis  
 agentibus esset una et eadem completa ratio agendi, ut in Patre et in  
 Filio eadem uis spiratiua, idem esset actus non obstante agentium  
 diuersitate.

[9] Contra secundam responsionem arguitur sic: illud per quod 135  
 materia se habet aliter et aliter aut facit aliquid ad rationem  
 receptiuam aut nichil; si aliquid, ergo sola materia non est ratio  
 recipiendi quantitatem, set forma concurrat (cuius oppositum IPSI  
 dicunt); si nichil, ergo nichil uariat in ratione receptiua, ut receptiua  
 est, et sic per illud ratio receptiua, ut ratio receptiua non se habet 140  
 aliter et aliter (quod tamen IPSI innuunt).

[10] Quarto principaliter probatur quod sola materia non sit ratio  
 receptiua quantitatis, set totius forme; uel totum compositum ratione  
 forme eque uel plus, sicut ratione materie, quia sicut se habet ens in  
 potentia simpliciter ad recipiendum formam substantialem que est 145  
 actus simpliciter, sic se habet in potentia secundum quid ad  
 recipiendum formam accidentalem que est actus secundum quid;  
 quicquid enim recipit actum aliquem recipit ipsum, quia est in  
 potentia passiuam ad ipsum, et secundum conditionem potentie est  
 conditio actus, quia ratio potentie sumitur ex actu; set ens in potentia 150  
 simpliciter per id quod est in potentia simpliciter habet rationem  
 recipiendi formam substantialem que est actus simpliciter; ergo ens

in potentia secundum quid per id quod est in potentia secundum  
 quid et non simpliciter habet rationem recipiendi formam  
 155 accidentalem, que est actus secundum quid; set illud per quod  
 compositum est in potentia secundum quid non est materia sola,  
 quia ipsa est pura potentia simpliciter; ergo ipsa sola non est ratio  
 recipiendi quantitatem, uel quamcunque formam accidentalem, set  
 forma uel utrumque simul.

160 [11] Quinto probauit idem sic: effectus communis requirit causam  
 communem; set quantitas communiter reperitur in homine et in  
 omnibus generabilibus necnon et celo; ergo habet in eis causam  
 receptiuam communem; set illa non potest esse materia secundum  
 COMMENTATOREM et multos alios cum nulla materia sit in celo; ergo  
 165 sola materia non est ratio receptiua quantitatis. Ad hoc respondetur  
 primo negando quod assumitur, uidelicet quod materia non sit in  
 celo. Secundo concesso quod in celo non sit materia, adhuc non  
 sequitur quod in homine sola materia non sit ratio receptiua  
 quantitatis. Et cum probatur quod imo, quia communis effectus  
 170 requirit causam communem, dicunt quod uerum est, set ista  
 communitas non semper est secundum eandem rationem; et hoc  
 necessarium est in proposito si ratio receptiua quantitatis in celo sit  
 sola forma et in homine compositum ex materia et forma, quia ista  
 non sunt eiusdem rationis in speciali et sufficit quod conueniant in  
 175 aliquo communi analogo in habendo similem proportionem ad  
 habendum partes quantitatis.

[12] Contra primam responsionem nichil arguo, quia uana est nisi  
 probetur quod in celo non sit materia, quod probare esset digredi a

---

164 nulla...celo] cf. Auer., *Metaph.*, VIII, 12 (220E-H); *De subst. orb.*, 5 (10L);  
*Auct. Ar.*, 1, 209 (132, 57-61) | 178 in...179 proposito] cf. *infra*, II, 12, 1

proposito. Set secunda responsio, si bene uideatur, concludit  
 oppositum eius quod ISTI intendunt, quia quamuis non oporteat 180  
 rationem receptiuam communis effectus uel passionis esse unius  
 rationis in speciali, oportet | tamen quod in omnibus receptiuis  $\pi$ 39vb  
 inueniatur conditio per quam sunt receptiua, illa autem conditio  
 respectu forme accidentalis, que est actus secundum quid, est quid  
 receptiuum secundum rationem recipiendi in potentia secundum 185  
 quid et non solum in potentia simpliciter, sicut est materia prima,  
 propter quod si celum est materia simplex absque materia,  
 nichilominus habet quantitatem, quia substantia eius ens actu est in  
 potentia secundum quid ad talem actum. Non potest ergo dici quod  
 sola materia que non habet hanc conditionem sit in quocunque ratio 190  
 receptiua quantitatis.

[13] Sexto, quia secundum ISTOS et secundum ueritatem necesse est  
 quod forma substantialis ordine nature precedat quantitatem in  
 materia; hec autem necessitas non est totaliter ex parte materie ut  
 terminetur eius dependentia, ut ISTI dicunt, set est aliquantiter ex parte 195  
 quantitatis que requirit suum susceptiuum sic informatum et sic  
 dispositum, et sic illa dispositio per se pertinet ad rationem  
 receptiuam quantitatis. Quod patet sic: illud cuius actualis entitas  
 dependet ex actuali entitate alterius subiectiue et non econuerso  
 requirit per se in subiecto receptiuo, ut receptiuum est, perfectiorem 200  
 entitatem actualem quam sit sua actualis entitas; set quantitas et  
 omne accidens est huiusmodi, quia ut habetur IV Methaphisice  
 et de se notum est ex ratione accidentis, *accidentia non sunt entia* nisi

---

202 IV] *an scrib.* VII?

---

203 accidentia...204 entis] cf. Arist., *Metaph.*, IV, 4, 1007a34; VII, 1, 1028a18-20; *Auct. Ar.*, 1, 160 (128, 76)



205 *quid entis* subiectiue, ut ibidem exemplificatur; ergo quantitas et omne  
accidens requirit per se in subiecto receptiuo ut receptiuum  
perfectiorem entitatem actualem quam sit propria actualis entitas;  
pura autem entitas potentialis non est perfectior actuali; ergo aliquid  
actuale est de ratione receptiua cuiuslibet accidentis et non sola  
materia que est pura potentia.

210 [14] Septimo, quia essentialis dependet actus omnis secundum quid  
ab actu simpliciter quam unus actus secundum quid ab alio actu  
secundum quid; set unus actus secundum quid, puta quantitas, per se  
est ratio receptiua quorundam aliorum accidentium, puta coloris et  
figure; ergo actus simpliciter, qui est forma substantialis, est per se  
215 ratio receptiua omnium actuum secundum quid siue omnium  
accidentium, quamuis ordine quodam propter ordinem quem habent  
inter se accidentia, quia forte omnia accidentis corporalia  
presupponunt quantitatem et ea mediante recipiuntur in toto  
composito ratione totius et non alterius partis solum, ut infra magis  
220 explicabitur. Ex hiis et quibusdam aliis que possunt adduci puto  
quod falsum sit dicere quod sola materia sit in homine uel  
quibuscunque generabilibus et corruptibilibus ratio receptiua  
quantitatis; nec puto quod ille modus fuerit inuentus nisi propter  
fugam illius inconuenientis, ne scilicet sequeretur animam hominis  
225 esse quantam uel extensam.

[15] Dicendum est ergo quod ratio recipiendi quantitatem in  
quocunque composito ex materia et forma non est sola materia, set  
totum compositum ratione utriusque partis; nec oportet propter hoc  
animam humanam esse quantam seu extensam per accidens. Ad  
230 quod sciendum distinguendum est de ratione receptiua hoc modo,

---

204 quid] *scr. am Aristotele*. quia  $\pi$

uidelicet quod quedam est totalis, quedam uero partialis. Totalis est que in suo gradu non requirit concausam, uerbi gratia in gradu immediate receptionis colorum quantitas est totalis causa, quia non requirit aliquid aliud quod sit cum ipsa immediata ratio recipiendi colorem, quamuis quantitas supponit aliud quod receptiuum est tam 235 quantitatis quam coloris, scilicet subiectum; set illud respectu receptionis coloris non est in eodem gradu recipiendi colorem, sicut quantitas, quia illud est remotum receptiuum, quantitas uero propinquum. Partialis autem causa est que in suo gradu coexigit aliud ut concausam, sicut anima est partialis causa recipiendi suas 240 potentias organicas, quia coexigit animam, nec est ymaginandum quod potentie organice habeant pro immediato et totali receptiuo animam et materiam pro remoto, sicut dictum est de colore respectu quantitatis et subiecti, imo habent pro immediato subiecto et pro immediata ratione receptiua compositum ex materia et forma seu ex 245 corpore et anima, ita quod hec duo sunt immediate cause partiales supplentes uicem unius totalis cause recipientis immediate predictas potentias. Et quod ita sit, patet; | nam si separaretur quantitas a 250 substantia, sicut fit in sacramento altaris, in quantitate reparata remanebit color, quia quantitas est totale receptiuum eius immediatum. Si autem separetur anima a corpore, in anima separata non remanebunt potentie sensitiue nec in corpore, quia neutrum fuit totalis causa receptiua talium potentiarum, set quelibet fuit partialis et sui coniunctione supplebant uicem unius totalis cause.

[16] Ex hoc ad propositum dicendum est quod sola materia non est 255 causa totalis seu ratio receptiua quantitatis, nec mediata nec immediata. Non immediata, non solum propter rationes prius positas, set quia materia est pura potentia in genere substantie; et ideo non est per se et primo seu immediate receptiua nisi actus

260 substantialis, qui est sui generis et cum quo facit unam per se, cum  
omni autem alio actu facit unum per accidens, propter quod sicut  
ens per accidens supponit ens per se, sic unio materie cum quantitate,  
que est aliquid unum per accidens, supponit per se unionem materie  
cum forma substantiali, que est aliquid unum per se, et sic materia  
265 prima non est immediata causa. Item nec sola materia est totalis  
causa uel ratio remota recipiendi quantitatem, quia tunc oporteret  
quod forma substantialis esset totalis causa et immediata recipiendi  
eam, cum inter materiam et quantitatem non sit dare aliud medium  
quam formam substantialem. Illud autem est falsum, quia tunc si  
270 contingeret formam separari a materia uel naturaliter, sicut separatur  
anima, uel uirtute diuina, tunc quantitas remaneret in anima in  
qualibet forma substantiali separata, quemadmodum color remanet  
in quantitate separata in sacramento altaris. Illud autem est  
absurdum, quia tunc anima separaretur a corpore cum quantitate  
275 corporis colore et figura quemadmodum pingitur, quod nullus  
sapiens diceret. Relinquitur ergo quod cum materia non sit totalis  
ratio recipiendi quantitatem uel propinqua nec remota, nec forma  
similiter, de qua statim probatum est quod non est totalis ratio  
propinqua seu immediata, et de se notum est quod non est totalis  
280 ratio prima et remota, quod quelibet harum est partialis causa que sui  
unione ad constitutionem suppositi suppleunt uicem unius totalis  
cause immediate receptiue quantitatis. Ex hoc autem solo quod  
aliquid est causa receptiua partialis quantitatis modo predicto non est  
necesse ipsum esse quantum, set solum aggregatum ex partialibus  
285 causis, sicut ex hoc quod anima et corpus sunt partiales cause  
receptiue potentie uisiue et actus uidendi, non est necesse quod  
anima secundum se uideat uel quod corpus secundum se uideat, set  
solum aggregatum est quod recipit et est totalis causa uel ratio

receptiua. Et ideo ipsum solum necesse est esse tale, puta quantum  
uel uidens, et non aliquam partialium causarum secundum se; 290  
propter quod licet anima sit partialis causa uel ratio recipiendi  
quantitatem, non est necesse ipsam esse quantam, set solum  
compositum.

[17] Set statim occurrit dubitatio, quia sicut anima est solum partialis  
causa recipiendi quantitatem, ita quelibet forma substantialis necnon 295  
et materia. Si ergo propter hoc non est necesse animam esse  
quantam, non erit necesse quamcunque aliam formam esse quantam  
nec etiam materiam. Cuius oppositum est superius concessum et est  
secundum se notum. Ad hoc dicendum est quod ex hoc solo quod  
materia et forma substantialis quecunque sint cause partiales 300  
receptiue quantitatis, non sequitur aliquam earum esse quantam, set  
solum compositum, nichilominus tamen nil prohibet materiam et  
aliquas formas substantiales est alia causa esse quantas in composito,  
et non secundum se, ex illa scilicet causa que dicta fuit in precedenti  
questione, quod omnis forma et omnis res que est pure et simpliciter 305  
corporalis qualis est materia et omnis forma substantialis sub anima  
est capax passionis et proprietatis que est per se et simpliciter et  
inseparabiliter conditio corporeitatis que est quantitas, ut deductum  
fuit ibi. Ad hoc ergo quod aliquid sit quantum, requiritur quod sit  
ratio receptiua quantitatis uel econuerso. Et si sit ratio receptiua 310  
partialis solum adhuc exigitur quod sit res pure et simpliciter  
corporalis modo prius exposito, quod conuenit materie et omnibus  
formis substantialibus preter animam intellectiuam.

[18] Ad rationes in oppositum dicendum est: ad primam quod ad 315  
hoc quod aliqua forma sit quanta per accidens, non sufficit quod sit  
ratio receptiua quantitatis nisi esset totalis ratio quod nulli forme  
competit, set requiritur quod sit forma pure et simpliciter corporalis,

quod non conuenit anime rationali, que est a corpore separabilis. Ad  
secundum dicendum quod aliqua forma substantialis potest esse  
320 totalis et immediata ratio receptiua alicuius accidentis, sicut anima  
rationalis est immediata ratio receptiua intellectus et uoluntatis, quia  
cum forma sit secundum se actus quidam respectu materie, potest  
tamen esse potentia secundum quid respectu accidentis; set materia  
cum sit potentia simpliciter, non potest secundum se esse totalis et  
325 immediata ratio recipiendi quantitatem uel quodcunque accidentis  
quod est actus secundum quid.

## Distinctio nona

### Sententia nona distinctionis in generali et speciali

[1] *Nunc ad distinctionem Personarum.* Superius MAGISTER determinavit de pertinentibus ad essentiam, hic determinat de pertinentibus ad Personam. Et diuiditur in tres partes: primo determinat de Personis quantum ad earum distinctionem; secundo quantum ad earum qualitatem; tertio de nominibus quibus et essentie unitas et Personarum designatur distinctio. Secunda in principio 19<sup>e</sup> distinctionis: *Nunc postquam æternitatem.* Tertia in principio 22<sup>e</sup> distinctionis: *Post predicta disserendum est.* Primo determinat de distinctione Filii a Patre; secundo de distinctione Spiritus Sancti ab utroque. Secunda in principio 10<sup>e</sup> distinctionis: *Nunc uero post Filii eternitatem.* Prima est presentis lectionis et diuiditur in duas: primo determinat suum intentum; secundo excludit quendam errorem per uerba AUGUSTINI et AMBROSII. Secunda ibi: *Set contra inquit hereticus.* Secunda pars principalis diuiditur in tres partes: primo mouet questionem et arguit ad utramque partem; secundo mouet aliam et utramque soluit; tertio solutionem confirmat per uerba HILARII. Secunda ibi: *Hic queri* etc. Tertia ibi: *HILARIUS quoque soluit distinctionem.* Hec est diuisio et sententia MAGISTRI in generali.

---

4 Nunc...Personarum] Lomb., 103, 6 | Superius...5 essentiam] cf. Lomb., 95, 3 - 103, 3 | 10 Nunc...11 coeternitatem] Lomb., 159, 9 | 11 Post...12 est] Lomb., 178, 3-4 | 14 Nunc...eternitatem] Lomb., 110, 16 | 17 Augustini...Ambrosii] cf. Aug., *De Trin.*, VI, 1, 1 (228, 10 - 229, 25); Ambr., *De fide*, I, 8, 55; I, 9, 58-60; I, 11, 73 (24, 10-16; 25, 1 - 27, 32; et 31, 45-46) | Set...hereticus] Lomb., 109, 29 | 21 Hilarii] cf. Hilar., *De Trin.*, VII, 27 (294, 20 - 296, 23); IX, 54 (433, 32-35); XII, 21-23 (595, 6 - 597, 18) | Hic queri] Lomb., 106, 3 | Hilarius...22 distinctionem] Lomb., 108, 18-19

[2] In speciali uero sic procedit et primo proponit quod tres  
 25 Persone sunt unum in natura, distincte in personalitate; *est enim  
 Filius a Patre alius* cum sit *ab eo genitus, non tamen ante fuit Pater  
 quam Filius*, quia diuine Persone sunt sibi inuicem *coeternae*. Postea  
 excludit errorem heretici qui sic opponebat: *si Filius natus est,  
 principium habuit*; ergo non ab eterno fuit. Et respondet primo  
 30 per AUGUSTINUM quia potuit *Filius coeternus esse Patri, sicut  
 splendor esset coeternus igni si ignis esset eternus*. Si etiam *Filius* non  
 esset coeternus et quandoque fuit Pater sine Filio cum Filius sit  
*uirtus et sapientia* Patris, aliquando fuit Pater *sine uirtute et  
 sapientia*. Excludit etiam hunc errorem per AMBROSIUM, qui per  
 35 autoritatem YSAIE Filium et Patrem coeternos esse dicit. Et  
 probatur per rationem: *si enim* aliquando Pater fuit sine Filio et  
 postea genuisset Filium, *mutatus* fuisset. *Quomodo* autem Pater  
 sit prior et quomodo Filius sit generatus, *est ineffabile* et excedit  
 intellectum rationalis creature, quia diuina generatio est  
 40 inenarrabilis et incomprehensibilis, sicut scriptum est:  
*Generationem eius quis enarrabit?*, licet *QUIDAM presumant* et male  
 quod posset comprehendi intellectu et exprimi. Postea querit  
*utrum debeat dici "Filius semper nascitur" an "Filius est semper  
 natus"*. Et respondet per auctoritates AUGUSTINI et GREGORII  
 45 quod generatio Filii debet exprimi per preteritum tempus  
 ratione perfectionis et per presens ratione coeternitatis, que

24 primo...27 coeternae] cf. Lomb., 103, 15-17 | 27 Postea...34 sapientia] cf. Lomb., 103, 18 - 104, 9; Aug., *De Trin.*, VI, 1, 1 (228, 10 - 229, 25) | 34 Excludit...37 fuisset] cf. Lomb., 104, 10-29; Ambr., *De fide*, I, 8, 55; I, 9, 58-60; I, 11, 73 (24, 10-16; 25, 1 - 27, 32; et 31, 45-46); Is., 43, 10 | 37 Quomodo...41 enarrabit] cf. Lomb., 105, 2-14; Is., 53, 8 | 41 licet...42 exprimi] cf. Lomb., 105, 15-23 | 42 Postea...48 nascitur] cf. Lomb., 106, 2 - 107, 2; Aug., *Enarr. in Ps.*, 2, 7, 6 (5, 2-9); Greg., *Moralia*, XXIX, 1, 1 (1434, 1-13); Origen., *Super Ierem.*, 9, 4 apud Hieron., *Hom.*, 6 (637A-B)

presens est. ORIGENES dicit quod debet dici "Filius semper nascitur". Postea MAGISTER respondet et dicit quod utrumque potest dici: "semper natus" propter perfectionem et "semper nascitur", quia generatio in preteritum non transit; 50  
conuenientius tamen dicitur "semper natus", quia magis tolletur erroris occasio. Vltimo confirmat hoc per autoritatem HILARII, per quam probat etiam quod si Pater est eternus, Filius est eternus; set eternitas Patris priuat principium originis, eternitas uero Filii principium durationis; | natum autem non 540vb  
potest esse coeternum gignenti in creaturis, quia prius sunt homines quam generent, nou autem in diuinis, quia Pater ab eterno generat Filium. Et hec est sententia in speciali.

60

### Questio prima

#### Vtrum Pater sit alius a Filio

- [1] Circa distinctionem istam queruntur quatuor, primo utrum Pater sit alius a Filio. Et uidetur quod non, quia *alius est relatiuum diuersitatis substantie*; set Filius non est diuersus a Patre in substantia; ergo Filius non est alius a Patre nec e conuerso. 5
- [2] Item alius et aliud idem important; set Filius non dicit aliud a Patre; non debet ergo dici alius.
- [3] In contrarium est quod dicit ATHANASIUS in Simbolo: *Alia*, 10

---

48 Postea...52 occasio] cf. Lomb., 107, 19 - 108, 17 | 52 Vltimo...58 Filium] cf. Lomb., 108, 18 - 110, 12; Hilar., *De Trin.*, VII, 27 (294, 20 - 296, 23); IX, 54 (433, 32-35); XII, 21-23 (595, 6 - 597, 18) | 2 Vtrum...Filio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 1, 1 (245-247); *S.th.*, I, 31, 2 | 5 Et...7 conuerso] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 1, 1, arg 1 (245) | 8 alius...9 alius] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 1, 1, arg 2 (246) | 10 Alia...11 Filii] *Symb. Athanasianum*, 5 (ed. Denzinger-Schönmetzer, [1965] 41)



inquit, *est Persona Patris, alia Filii.*

[4] Responsio. In diuinis utendum est talibus nominibus quibus nec tollatur pluralitas Personarum nec ponatur pluralitas essentie; nomina autem quibus utimur in diuinis translata sunt a creaturis, in  
 15 quibus multiplicatur natura multiplicatis suppositis; et ideo nullum nomen importans unitatem uel pluralitatem, si accipiat secundum se, potest conuenire diuinis nisi cum determinatione; unde non proprie dicitur "in diuinis est tantum unius", uel "in diuinis sunt plures" nullo plus addito. Verum quia adiectiua ponunt rem suam  
 20 circa substantiam, ideo possumus uti nomine `unius` et `plurium` cum additione substantiuorum quibus ista conueniunt, ut dicendo "Deus unus" uel "plures Personae" sine additione, aut non nisi improprie, quia potest quantum est ex ui nominis intelligi unitas et pluralitas tam circa Personam quam circa essentiam et econuerso.  
 25 Similiter `alius` importat distinctionem que est in diuinis solum quo ad personalia et non quo ad essentiam. Et ideo hoc nomine non est utendum nisi cum additione personalium, ut dicendo quod Pater est alia Persona uel alius in Persona a Filio uel aliud suppositum, quod si quandoque dicatur alius a Filio Pater sine additione, exponenda est  
 30 locutio et magis toleranda quam si diceret `aliud`, quia `aliud` in neutro genere sumitur substantiue communius quam in masculino uel feminino, siue ex modo significandi siue ex usu loquendi, quam substantificationem usus loquendi sic accipit ut `aliud` dicat diuersitatem essentie, `alius` uel `alia` diuersitatem in Persona. Set  
 35 istud non est de uirtute sermonis, quia diuersitas generis et cuiuscunque modi significandi non mutat significatum uocabuli; set neutrum etiam substantiuatum non differt a masculino et feminino nisi in modo significandi; ergo in eis est idem significatum uocabuli. Set `alius` et `alia` de suo significato dicunt diuersitatem in

communi, que est uel esse potest tam secundum essentiam quam 40  
 secundum relationem uel Personam; ergo idem dicit `aliud` in neutro  
 genere non obstante sua substantificatione; ergo de uirtute sermonis  
 non stat solum pro diuerso in essentia.

[5] Notandum etiam quod quedam sunt nomina que non recipiuntur 45  
 in diuinis propter hoc quod quandoque fuerunt causa erroris, magis  
 quam propter repugnantiam sue significationis, sicut nomen  
 `singularitatis` ne tollatur communicabilitas nature, nomen `unici` ne  
 tollatur numerus Personarum, cum tamen essentia diuina sit  
 uerissime singularis non obstante sua communicabilitate et Pater sit  
 uere unicus Pater; similiter est de aliis nominibus quibusdam que 50  
 consimili ratione tolluntur a diuinis.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod alius est relatiuum  
 diuersitatis substantie accipiendo substantiam non solum pro  
 essentia, set pro supposito, et pro utroque potest reddere locutionem  
 ueram uel falsam secundum naturam eius cui additur. Si enim dicatur 55  
 quod Pater est alia Persona uel aliud suppositum uera est locutio; si  
 autem dicatur quod Pater est alius Deus a Filio falsa est, quia dicit  
 diuersitatem essentie secundum conditionem termini essentialis cui  
 additur; si autem dicatur absolute et sine additione "Pater alius est a  
 Filio", impropria est et indiget determinatione. Ad secundum patet 60  
 responsio per idem.

### Questio secunda

#### Vtrum Pater sit prior Filio

---

2 Vtrum...Filio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 2, 1 (250-251)

- [1] Secundo queritur utrum Pater sit prior Filio. Et uidetur quod sic,  
 5 quia *sicut se habet corruptio ad non-esse, ita generatio ad esse; set omne corruptum desinit esse; ergo omne genitum incipit esse; set Filius est genitus; ergo incipit esse et ita non est Patri coeternus.*
- [2] Item in diuinis esse et duratio sunt idem; set Filius habet principium sui esse cum sit ab alio; ergo habet principium sue  
 10 durationis; set nichil tale est eternum; ergo etc.
- [3] Item *prius est illud a quo non conuertitur consequentia; set sequitur "Filius est, ergo Deus est" et non econuerso; ergo Deus est prior Filio, set non nisi pro supposito Patris; ergo etc.*
- [4] Contra: in Simbolo ATHANASII dicitur quod *in hac Trinitate*  
 15 *nichil est prius aut posterius.*
- [5] Responsio. Dicendum est quod impossibile est Patrem esse priorem Filio aliquo modo prioritatis. Quod patet sic: in diuinis non sunt nisi duo concurrentia ad constitutionem suppositorum, scilicet essentia et relatio; ergo si Pater esset Filio prior, hoc esset uel  
 20 relatione essentie uel ratione relationis, non ratione essentie, quia est penitus una et eadem in Patre et Filio. Prius autem et posterius de necessitate respiciunt diuersa secundum rem, si sit ibi prius et posterius secundum rem. Considerando ergo precise diuinam essentiam secundum se, cum sit una re et ratione, ut probatum est  
 25 supra in questione de attributis, secundum illam nichil potest dici prius aut posterius in diuinis. Item ratione relationis non potest esse Pater prior Filio, nec per consequens ratione essentie, ut est sub tali relatione uel tali relatione uel tali Persona, quia quicquid sit de

---

1.9.2,11 illud] *scr. cum Aristotele: aliud  $\pi$  24 sit] conr.: eum  $\pi$*

---

5 sicut...7 coeternus] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 2, 1, arg 1 (250) | 11 prius...consequentia] Arist., *Praed.*, 12, 14a34-35 | 14 in<sup>2</sup>...15 posterius] *Symb. Athanasianum*, 25 ([1965] 42) | 25 in...attributis] cf. supra, I, 2, 2

relationibus disparatis de quibus inferius inquiretur, tamen constat quod relationes opposite simul sunt natura et intellectus; paternitas autem et filiatio, quibus solum Pater et Filius distinguntur, sunt relationes opposite; ergo secundum eas Pater et Filius sunt simul nec unus prior est alio, nec secundum rem, nec secundum intellectum.

[6] QUIDAM tamen distinguunt de relatione quod potest considerari uel ut relatio uel ut proprietas constitutiva. Si ut relatio, tunc est uerum quod nunc dictum est; si autem ut proprietas constitutiva, sic paternitas est prior filiatione, et Pater Filio; nam proprietas constitutiva Persone producentis preintelligitur Persone producte et proprietati ipsam constituenti. Ratio autem huius est quia qualem ordinem realem habent inter se aliqua quando differunt re, similem ordinem habent rationis quando differunt sola ratione (sicut enim intellectus et uoluntas in nobis, in quibus realiter differunt, habent realem ordinem, quia intellectus naturaliter precedit uoluntatem et intelligere ipsum uelle, sic in Deo, in quo non differunt nisi ratione, intellectus et actus eius secundum rationem precedunt uoluntatem et actum eius); nunc est ita quod ubi est proprietas constitutiva suppositi differens realiter ab actione et relatione, talis est ordo inter ista quod proprietas constitutiva suppositi precedit realiter saltem ordine nature actionem et relationem; ergo in Deo Patre, in quo illa non differunt nisi secundum rationem, proprietas constitutiva precedit secundum rationem, generationem et relationem. Cum ergo Pater simul sit cum Filio ratione paternitatis ut est relatio, et rationem relationis precedit ratio paternitatis constituentis, sequitur, ut uidetur, quod si paternitas consideretur ut proprietas constitutiva, quod paternitas prior est filiatione et Pater Filio secundum rationem talis considerationis.

[7] Hec autem distinctio non uidetur habere locum in proposito, quia

si illud quod constituit Personam Patris aut Filii consideretur ut  
 proprietas constitutiva, et non ut relatio, non potest esse nisi duobus  
 60 modis: uno modo sicut consideratur absolutum sine relatione, quod  
 in proposito esse non potest, quia tunc intelligeretur suppositum  
 diuinum constitutum per absolutum et talis intellectus esset falsus;  
 alio modo sicut consideratur commune absque minus communi, ut  
 animal absque rationali uel irrationali. Et hoc modo, cum proprietas  
 65 constitutiva sit in plus quam relatio constituens (quedam enim  
<sup>π41ra</sup> supposita | constituuntur relationibus, ut in diuinis, quedam per  
 absoluta, ut in creaturis), proprietas constitutiva potest intelligi  
 absque intellectu relationis et absque intellectu forme absolute, set  
 istud non habet locum in proposito. Primo, quia licet commune  
 70 sumptum sub nomine et ratione communi possit intelligi non  
 intellecta ratione particulari sub ipso contenta, ut `anima` sine  
 homine uel asino particulari, tamen sub hoc proprio nomine et  
 propria ratione acceptum et retentum non potest intelligi sine  
 communi quod inest ei per se primo modo, sicut `homo` non potest  
 75 intelligi sine `animali`, et secundum hoc possumus intelligere quod  
 sit aliqua proprietas constituens suppositum non intellecto quod illa  
 proprietas sit absoluta uel relatiua, set hoc non querimus. Non enim  
 querimus utrum possimus intelligere in generali suppositum diuinum  
 constitutum in esse suppositi, non intelligendo quod sit  
 80 constitutum per relationem, set querimus in speciali utrum  
 paternitas, que est constitutiva Patris, possit intelligi ut constitutiva  
 Patris absque hoc uel priusquam intelligatur ut relatio qua refertur  
 Pater ad Filium, ut sic pater possit intelligi prior Filio. Et constat  
 quod non, imo econuerso paternitas potest intelligi ut relatio non  
 85 intelligendo quod sit constitutiva. Cuius ratio est quia nichil potest  
 intelligi sine eo quod est de ratione sua iudicante quid est et quod

conuenit ei in primo modo dicendi per se; talia autem sunt de intellectu rei. Set de ratione paternitatis est relatio et inest ei in primo modo dicendi per se; esse autem constitutiuum suppositi non est de ratione paternitatis nec aliquo modo conuenit ei per se, quia non conuenit omni; ergo impossibile est intelligere paternitatem in aliquo nisi intelligendo rationem relationis, set bene possumus intelligere paternitatem in aliquo non intelligendo rationem constitutiuam, sicut bene possumus intelligere paternitatem in aliquo non intelligendo quod constituit suppositum totum; ergo contrarium accidit ei quod ISTI dicunt, quod nunquam potest intelligi paternitas in aliquo constituens et non ut referens, uel prius constituens, postea ut referens, cum relatio sit de primario intellectu `paternitatis', set bene potest intelligi ut referens et non ut constituens, et sic nullo modo preintelligitur Pater Filio utroque accepto, sub proprio nomine et propria ratione, sicut questio intelligitur. 90 95 100

[8] Item non solum in speciali considerando patrem et paternitatem, set nec in generali, potest in diuinis productus intelligi esse prius producto quocunque modo non solum secundum rem, set nec secundum rationem. Quod patet sic, quia si in diuinis possit producus preintelligi producto aut proprietas producentis proprietati producti, hoc esset in quantum hoc esset producus et illud productum, aut alio modo; non in quantum hoc est producus et illud productum, quia rationes producentis producti sunt correlatiue, que simul sunt secundum intellectum; nec alio modo, utpote in quantum constitutum in esse suppositi, quia si suppositum producus, non in quantum producus, set in quantum constitutum in esse suppositi preintelligitur producto, sequitur quod intelligatur constitutum antequam producus; quare et aliud quam per relationem producentis; set iste intellectus est falsus, quia sequeretur 105 110 115

quod intelligeretur constitutum per aliquid absolutum. Quod patet, quia licet aliquid possit intelligi sub ratione communi non intellecta ratione propria sub communi contenta, sicut aliquid potest intelligi sub ratione animalis non intellecto rationali uel irrationali, tamen ex quo sub communi unum diuidentium excluditur, alterum ex necessitate concluditur; uerbi gratia si dicatur sic "istud est animal et non irrationale", sequitur quod est rationale. Cum ergo `constitui` sit in plus quam `constitui per absolutum` uel `per relationem`, ideo aliquid potest intelligi constitutum non intellecto quod sit constitutum determinate per absolutum uel determinate per relationem; tamen ex quo intelligitur constitutum et non per relationem, necessarium est quod intelligatur constitutum per absolutum; et ita suppositum diuinum, si intelligatur constitutum non per relationem, set prius constitutum et postea relatum, sequitur ex necessitate quod intelligatur constitutum per absolutum, qui intellectus est falsus. Et probatur consequentia, quia ex quo intelligitur constitutum per | aliquid, oportet quod intelligatur constitutum per relationem uel per absolutum uel per indifferentem, quia preter rationes istas nulla alia est; set non intelligitur constitutum per rationem relationis, quia illa excluditur, nec per rationem indifferentem, quia ratio relatiua non excluderetur; ergo intelligitur constitutum per rationem absolutam.

[9] Ad rationem adductam contra hoc dicendum est quod qualem ordinem realem habent aliqua inter se ubi differunt realiter, talem ordinem rationis habent ubi differunt secundum rationem, quando hincinde sibi inuicem correspondent proportionabiliter secundum suas rationes specificas, sicut intellectus et uoluntas in Deo et in

---

139 habent] *coni.*: habens  $\pi$  142 specificas] *coni.*: sphericas  $\pi$

nobis; et sic si paternitas in creaturis esset proprietas constituens  
 suppositum et esset prior realiter generatione et relatione generantis  
 ad genitum, sequeretur quod in diuinis paternitas ut constituens esset 145  
 prior secundum rationem quam generare et quam relatio generantis  
 ad genitum. Set neutrum est uerum, quia in creaturis nec paternitas  
 constituit suppositum nec precedit realiter generationem nec  
 relationem generantis ad genitum; uerum est quod proprietas  
 absoluta constituens suppositum in creaturis precedit secundum rem, 150  
 generationem et relationem, set tali proprietati nichil correspondet  
 proportionabiliter in diuinis, nec paternitas nec aliquid aliud. Et ideo  
 nullum simile est hincinde.

[10] Vel dicendum clarius, quamuis redeat in idem, quod ordo prioris  
 et posterioris tam secundum rem quam secundum rationem solum 155  
 est inter disparata, quorum unum non est de ratione alterius, et in  
 illis maior propositio habet ueritatem; set paternitas et relatio non sic  
 se habent, nec in diuinis nec in creaturis, quia in ratione paternitatis  
 includitur relatio per se; et ideo paternitas nullo modo potest esse  
 prior relatione, neque secundum rem neque secundum rationem, nec 160  
 in Deo nec in creaturis.

[11] Ad primum argumentum in oppositum dicendum quod sicut se  
 habet corruptum ad desitionem essendi, sic genitum ad acceptionem  
 essendi, non autem ad inceptionem esse et nature, ut dictum fuit  
 supra distinctione 4<sup>a</sup> questione 1<sup>a</sup>; quod autem sit ibi inceptio 165  
 essendi, hoc conuenit generationi quatenus est mutatio, cuius  
 subiectum prius est sub priuatione quam sub forma; nichil autem tale  
 est in generatione diuina et ideo genitum accipit quid esse, set non  
 incipit.

[12] Ad secundum dicendum quod sicut Filius habet principium sui 170  
 esse, ita sue durationis; Filius autem habet principium sui esse, quia



habet principium a quo est, set non habet principium quod sit prius in essendo; similiter Filius habet principium a quo habet suam durationem, set non habet principium quod sit prius duratione.

- 175 [13] Ad tertium dicendum quod per eandem rationem probaretur quid Filius uel Spiritus Sanctus esset prior Patre, ut patet per similem deductionem; dicendum ergo quod ex hiis que conueniunt superiori ratione communis conceptus non licet inferre aliquod inferius, sicut non sequitur "homo est species; ergo Sortes uel Plato est species";
- 180 prioritas autem secundum modum non conuertendi consequentiam conuenit superiori ratione communioris conceptus; et ideo non licet inferre aliquid inferiorum, sicut non sequitur "animal est prius homine; ergo asinus uel equus uel aliquid tale animal est prius homine". Et similiter non sequitur "Deus est prior Filio" secundum
- 185 modum non conuertendi consequentiam; "ergo Pater uel Spiritus Sanctus est prior Filio".

### Questio tertia

#### Vtrum Pater et Filius sunt plures eterni

- 5 [1] Tertio queritur utrum Pater et Filius possint dici plures eterni. Et uidetur quod non, quia *sicut trium Personarum est una deitas, ita* [una deitas, ita] *una eternitas; set Pater et Filius non dicuntur plures dii; ergo nec plures eterni.*

---

1.9.3,6 una<sup>2</sup>...ita] *sed.*

2 Vtrum...eterni] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 1, 2 (248-250) | 5 Et...8 eterni] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 1, 2, arg 3 (248)

[2] Item que dicuntur absolute non plurificantur in diuinis (significant enim substantiam); set `eternus` dicitur absolute; ergo non plurificatur dicendo "plures eterni". 10

[3] Ad idem est quod dicit ATHANASIUS in Simb o l o: *et tamen non tres eterni, set unus eternus.*

| [4] In contrarium est quia non magis est essentialis Personis diuinis eternitas quam entitas; set entitas predicatur in plurali de pluribus Personis (dicimus enim quod Pater et Filius sunt); ergo debemus similiter dicere quod Pater et Filius sunt eterni. π41va 15

[5] Responsio. Questio ista non est de re quid sit, set de modo loquendi; non enim dubitamus utrum eternitas plurificetur in Personis diuinis, set supposito quod in omnibus Personis diuinis sit una eternitas sicut una diuinitas, querimus utrum debeamus predicare nomen eterni de tribus Personis in plurali an in singulari. Est ergo intelligendum quod nominum quedam sunt adiectiua, alia substantiua: illa que sunt substantiua, cum non significant per modum dependentis ad alterum et alteri inherentis, non dicuntur de aliquibus pluraliter, nisi natura importata per talia nomina plurificetur in illis; set adiectiua, cum significant per modum dependentis ad alterum et alteri inherentis, predicantur pluraliter, de pluribus tamen, siue forma importata per talia nomina plurificetur siue non; debent enim, ut dicunt GRAMMATICI, adiectiua conformari substantiuis in numero (unde dicimus quod plures homines trahunt nauem pluraliter, licet sit unus tractus numero). Cum ergo queritur utrum Pater et Filius sunt plures eterni, aut facis difficultatem in hoc quod est `plures`, uel in hoc quod est `eterni`. Si in hoc 20 25 30 35

---

12 et...13 eternus] *Symb. Athanasianum*, 11 ([1965] 41) | 31 adiectiua...32 numero] cf. Priscian., *Instit. gramm.*, XVII, 153 (182, 26 - 183, 6)

quod est `plures`, solum est in 1<sup>a</sup> questione huius distinctionis; si in hoc quod est `eterni`, nulla uis facienda est cum sit adiectiuum quod predicatur pluraliter de pluribus et pluralis numerus non denotat numerum forme per adiectiuum importate, set pluralitatem illorum quibus conuenit. Vnde benedicitur "plures Persone sunt diuine, non autem dii", et quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus intelligunt et uolunt, non autem intelligit aut uult, licet intelligere et uelle in eis sint unum numero. Et idem iudicium est de hoc quod est `eternum` prout sumitur adiectiue, quia debet dici quod sunt plures eterni.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de hoc nomine `Deus` et de hoc nomine `eternus`, quia illud est substantiuum et illud adiectiuum, quamuis hoc quod est `eternus` sumatur aliquoties substantiue et tunc non predicatur pluraliter; unde ATHANASIUS sic accepit cum dixit *et tamen non tres eterni, set etc.*, adiectiue autem accepit cum dixit quod *tres Persone coeterne sibi sunt et coeue*.

[7] Ad secundum dicendum quod adiectiua predicantur in plurali, quamuis sint absoluta et natura importata per ea non plurificetur, et causa dicta est. Ad autoritatem ATHANASII patet solutio ex iam dictis.

#### Questio quarta

---

51 et...52 set] *Symb. Athanasianum*, 11 ([1965] 41) | 52 tres<sup>2</sup>...53 coeue] *Symb. Athanasianum*, 26 ([1965] 42)

## Per quod uerbum potest exprimi diuina generatio

- [1] Quarto queritur quomodo diuina generatio debeat exprimi, utrum per uerbum presentis temporis dicendo "Filius semper nascitur", an per uerbum preteriti dicendo "Filius semper natus est". Et uidetur quod per uerbum preteriti temporis, quia quod est nobilius est Deo attribuendum; set nobilius est esse natum uel genitum quam nasci uel gigni; ergo debemus dicere quod Filius semper est natus uel genitus, magis quam "semper gignitur" uel "nascitur". 5 10
- [2] Item AUGUSTINUS libro *Questionum* questione 37<sup>a</sup> sic dicit: *Qui nascitur nondum est natus*; set Filius est natus; ergo non semper nascitur.
- [3] Preterea natiuitas completa debet significari ut iam facta et per consequens debet significari per preteritum; set natiuitas Filii est completa, quia nichil de ea expectatur in futurum; ergo debet significari per preteritum, ut dicamus "Filius semper natus", et non "semper nascitur" aut "nascetur". 15
- [4] In contrarium est <quia> quod non desinit esse semper debet designari ut presens; set natiuitas Filii non desinit esse; ergo debet significari per presens dicendo "Filius semper nascitur". 20
- [5] Item Pater semper generat; ergo Filius semper gignitur. Consequentia patet. Probatio antecedentis patet per DAMASCENUM libro I, qui dicit: *Deus infinite et sine tempore ens inquescibiliter generat*. 25

---

19.4,11 libro...37a] *ami.*: 92. quæst. cap. 57  $\pi$

2 Per...generatio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 9, 2, 2 (252-253) | 12 Qui...natus<sup>1</sup>] cf. Aug., *De diu. quæst.* 83, 37 (59, 3) | 25 Deus...26 generat] cf. Ioh. Dam., *De fide orthod.*, I, 8, 4 (33, 91-99)

π41vb | [6] Responsio. Dicendum quod generatio Filii non  
 sufficienter exprimitur per presentis temporis uerbum tantum  
 uel preteriti tantum, set per utrumque simul. Quod patet sic: in  
 30 hiis que producuntur non per motum nec per actionem  
 nouam, set per actionem indiuisibilem et perpetuam semper  
 sunt simul fieri et factum esse; set Filius producitur a Patre non  
 per motum nec per actionem nouam, set per actionem  
 indiuisibilem et perpetuam; ergo in productione uel  
 35 generatione Filii semper sunt simul produci et productum esse,  
 gigni et genitum esse; ergo per utrumque debet generatio Filii  
 exprimi et non per alterum tantum ut dicatur "semper gignitur  
 et semper genitus est, semper nascitur et semper natus est".  
 Minor supponitur, set probatio hec est maioris. In hiis enim  
 40 que fiunt per motum fieri eorum est ipse motus, qui non  
 manet acquisito termino, set cessat, et tunc primo res dicitur  
 facta, propter quod in talibus fieri et factum esse nunquam  
 sunt simul; in hiis uero que non fiunt per actionem subitam set  
 nouam, sicut illa que creantur de nouo, fieri et factum esse sunt  
 45 simul, quia mox ut talis actio est, completa est, set hec non est  
 pro quolibet instanti, set solum pro instanti primo in quo de  
 nouo accipit; tunc enim uerum est dicere quod res creatur et  
 creata est. Deinceps autem solum dicimus quod est creata et  
 quod non creatur. Istud tamen non est de uirtute sermonis nec  
 50 ex proprietate rei, set tantum ex consuetudine loquendi, ut  
 patebit in II libro distinctione 1<sup>a</sup>. In hiis autem que fiunt per  
 actionem indiuisibilem et perpetuam semper sunt simul fieri et  
 factum esse uel produci et productum esse, quia talis

39 In...43 simul] cf. Arist., *Metaph.*, IX, 6, 1048b28-32 | In...50 loquendi] cf.  
 infra, II, 1, 2, [16]-[19] (127ra-b)

productio, ut statim est, perfecta est, et nichil de perfectione  
sua expectans in posterum. Et quia semper est et semper 55  
completa est, ideo productum per eam dicitur semper produci  
propter permanentiam productionis. Et dicitur semper  
productum propter eius perfectionem. Et ideo Filius dicitur  
semper nasci et semper natus; forte tamen aliquantulum magis  
propria est ista "Filius semper natus est" quam "semper 60  
nascitur", quia in communi modo loquendi `fieri` dicit quasi  
uiam ad terminum distantem, quod non est reperire in diuinis.  
Per hoc patet responsio ad obiecta.

Diuisio textus in generali et speciali

distinctionis X

[1] *Nunc post Filii eternitatem*. Superius MAGISTER determinauit de Filii  
5 generatione, in ista parte determinat de Spiritus Sanctus processione.  
Et diuiditur in duas partes: primo determinat de processione eius  
eterna, secundo de temporali. Secunda in principio 14<sup>e</sup> distinctionis:  
*Preterea diligenter*. Prima diuiditur in tres: primo enim determinat  
10 processionis modum; secundo processionis principium; tertio  
distinguit processionem et generationem. Secunda in principio  
<11<sup>e</sup>> distinctionis. Tertia ibi: *Post hoc considerandum*. Prima est  
presentis lectionis et diuiditur in quatuor partes: primo enim  
proponit quod amor in diuinis Spiritui Sancto attribuitur; secundo  
15 declarat per simile; tertio confirmat per auctoritatem canonis; quarto  
confirmat per auctoritatem SANCTORUM. Secunda ibi: *In pluribus enim  
exemplis*. Tertia ibi: *Set Dei Verbum*. Quarta ibi: *Nunc uero que incepimus  
ostendere*. Hec est sententie diuisio in generali.

[2] In speciali uero sic procedit quia *Spiritus Sanctus est amor uel  
dilectio Patris et Filii*, subditque quod nomen `caritatis` tribus  
20 Personis in diuinitate conuenit; tamen sicut sapientia appropriatur  
Filio, ita caritas Spiritui Sancto. Postea per simile hoc ostendit  
dicens quod sicut nomen `legis`, quod commune est Veteri

---

11 11e] *suppl.: om. π | hoc] haec Lomb. 16 Verbum] *scr. cum Lombando: uerbis π  
que] quod π 21 Spiritui Sancto] *omi.: Spiritus sancti π***

---

4 Nunc...eternitatem] Lomb., 110, 16 | Superius...generatione] cf. Lomb., 103,  
6 - 110, 12 8 Preterea diligenter] Lomb., 126, 3 11 Post...considerandum]  
Lomb., 121, 25 15 In...exemplis] Lomb., 111, 21 16 Set...Verbum] Lomb.,  
111, 30-31 | Nunc...ostendere] Lomb., 112, 27-28 18 Spiritus...21 Sancto] cf.  
Lomb., 110, 15 - 111, 18 21 Postea...23 Moysi] cf. Lomb., 111, 20-29

Testamento, appropriatur legi MOYSI. Postea confirmat  
 Canonicam IOANNIS, ut in serie litere habetur quod *dilectio est*  
*Deus et est in Deo et facit nos in Deo manere; et ita Spiritus Sanctus* 25  
*est dilectio. Postea probat per auctoritatem SANCTORUM quod*  
*Spiritus Sanctus est amor Patris in Filium et unitas et communio ac*  
*donum amborum et unius essentie et equalis diuinitatis. Vltimo*  
*dicit <quod> quia *Spiritus Sanctus est unio et communio amborum,**  
*nomen `caritatis`, quia ambobus conuenit, sibi appropriatur.* 30  
 Et in hoc terminatur sententia lectionis in speciali.

### I Questio prima

π42ra

Vtrum Spiritus Sanctus sit proprium nomen alicuius Persone diuina

[1] Circa distinctionem istam consueuit queri utrum in diuinis aliqua  
 Persona procedat per modum uoluntatis, et utrum Persona sic 5  
 procedens debeat dici amor. Set quia de prima questione satis dictum  
 fuit supra distinctione 6<sup>a</sup>, secunda autem questio totaliter dependet  
 ex prima, quia sicut competit Persone diuine procedere per modum  
 uoluntatis, sic competit ei quod sortiatur nomen `amoris`, ideo de  
 hiis nichil plus dicetur ad presens. Set restat querendum de duobus 10  
 aliis, scilicet utrum Spiritus Sanctus sit proprium nomen alicuius  
 Persone diuine, et utrum in diuinis sint tantum tres Persone.

25 in<sup>1</sup>] ex Lomb. 29 quod] *suppl.: om π 2 proprium] scr.: proprium π*

23 Postea...26 dilectio] cf. Lomb., 111, 30 - 112, 20 26 Postea...28 diuinitatis]  
 cf. Lomb., 112, 20 - 113, 18; Aug., *De Trin.*, VI, 4, 6 - 5, 7 (235, 35 - 236, 33);  
 Ps.-Hieron., *In Ps.*, 17, 7 ([PL26] 863C) 28 Vltimo...31 speciali] cf. Lomb.,  
 113, 20 - 114, 9 2 Vtrum...diuina] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 10, 1, 1 et 4  
 (261-264 et 266-269);



Ad primum sic proceditur et uidetur quod non, quia omne quod est  
 et non est corpus est spiritus; set Pater et quelibet Persona diuina est  
 15 et non est corpus; ergo est spiritus; et constat quod quilibet sanctus  
 est; ergo `Spiritus Sanctus` non est proprium nomen, proprium  
 alicuius Persone diuine, set est commune cuilibet.

[2] Item quod conuenit toti Trinitati non conuenit soli Persone; set  
 nomen `Spiritus Sancti` conuenit Trinitati toti secundum illud  
 20 IOANNIS 4<sup>o</sup>: *Deus spiritus est et eos qui adorant in spiritu et ueritate oportet  
 adorare*; adoratio autem Trinitatis totius est et non unius tantum  
 Persone; ergo etc.

[3] Ibi contrarium est quod dicitur. I IOANNIS 5<sup>o</sup>: *Tres sunt qui  
 testimonium dant in celo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus*; set `Pater` est  
 25 proprium nomen unius Persone, similiter et `Verbum`; ergo et  
 `Spiritus Sanctus`.

[4] Responsio. Dicendum quod `Spiritus Sanctus` uno modo  
 dicitur a `spiritualitate` et sic conuenit omnibus Personis; alio  
 modo dicitur a `spiratione` et sic conuenit tantum tertie Persone in  
 30 diuinis. Hec autem probatur unica ratione sic: cuius Persone  
 proprium spirari, illius proprium est esse Spiritum, prout `spiritus`  
 dicitur a `spiratione`; set tertie Persone in diuinis proprium est  
 spirari (sicut enim emanatio Filii a Patre dicitur `generatio`, sic  
 processio Spiritus Sancti ab utroque dicitur `spiratio`); ergo tertie  
 35 Persone in diuinis proprium est esse Spiritum, prout `spiritus`  
 dicitur a `spiratione` quasi spiratus; prout autem `spiritus` dicitur a  
 `spiritualite`, `spiritus` non est proprium nomen tertie Persone, set

---

21 totius est] *huc transposui: post etc. π* 23 Tres] *sr.: Tes π*

20 Deus...adorare] Ioh., 4, 24 23 Tres...Sanctus] cf. I Ioh., 5, 7-8; Thom.,  
*Super Sent.*, I, 24, 1, 2, sed contra (578)

appropriatum tantum, idest de communi tractum ad proprium propter aliquam specialem conuenientiam. Sic enim `spiritus` sonat in subtilitatem, unde subtilia in corporalibus `spiritus` uocamus, sicut uentum et aerem et corpus subtile quod est instrumentum uirium anime; magis etiam proprie `spiritus` dicuntur omnia incorporalia, sicut dicimus angelos `spiritus`. Deum etiam `Spiritus` uocamus iuxta illud I o a n n i s 4<sup>o</sup>: *Deus spiritus est*; set ex usu scripture inuenitur appropriatum tertie Personae propter aliquas congruitates. Vna est quia tertia Persona procedit communiter a prima et secunda et ideo quod est commune utrique attribuitur tertie Personae communiter procedenti ab utraque. Cum ergo Pater sit spiritus et Filius spiritus et uterque sanctus, tertia Persona a Patre et Filio communiter procedens uocatur appropriate `Spiritus Sanctus`. Et hanc rationem tangit beatus AUGUSTINUS XV De Trinitate. Alia ratio est quia in rebus corporeis `spiritus` sonat in quandam impulsionem uel motionem; illud autem quo maxime mouemur est uoluntas, cuius potissima affectio maxime motiua est amor; propter quod Persona procedens per modum uoluntatis ut amor appopriate dicitur `Spiritus Sanctus`. `Sanctus` additur, quia, ut dicit E U S T R A T I U S super I E T H I C O R U M, iustum consistit in equalitate ad alterum, sanctum autem in ordine ad Deum. Et quia dona quibus ordinamur ad Deum, attribuuntur per appropriationem tertie Personae in diuinis: ideo et sanctum ei appropriatur.

[5] Per hoc patet responsio ad argumentum utriusque partis; duo

---

47 utrique] *sr.*: utirque *π*

---

44 Deus...est]† Ioh., 4, 24 51 Et...Trinitate] cf. Aug., *De Trin.*, XV, 17, 27 (201, 2-5) 57 iustum...Deum] cf. Eustr., *In Eth. Nic.*, I, 7 (72, 75-77)

enim prima probant quod `spiritus` dictus a `spiritualitate`, et  
 prout `spiritualitas` non solum sonat in subtilitatem, set etiam in  
 65 immaterialitatem, conuenit toti Trinitati nec est proprium alicuius  
 Persone, appropriatur tamen propter rationes communes dictas;  
 `spiritus` autem dictus a `spiratione` proprie conuenit tertie  
 Persone. Et per idem patet solutio ad argumentum in oppositum.

70

### Questio secunda

#### Vtrum in diuinis sint tantum tres Persone

[1] Ad secundum sic proceditur. Et uidetur quod possint esse plures  
 5 Persone in diuinis quam tres, quia per generationem Filii non  
 minuitur potentia Patris; ergo sicut Pater potest gignere unum  
 Filium, ita eo genito potest gignere secundum et tertium, et sic erunt  
 plures Persone quam tres per multiplicationem Filiorum. Idem  
 potest argui de Patre et Filio respectu Spiritus Sancti .

10 [2] Item secundum BOETIUM *relatio multiplicat Trinitatem*; set in  
 diuinis sunt quatuor relationes; ergo sunt quatuor Persone.

[3] In contrarium est quod dicitur. I IOANNIS ultimo: *Tres sunt qui  
 testimonium dant in celo, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.*

[4] Responsio. Dicendum quod sicut pluralitas Personarum  
 15 diuinarum non potest probari efficaciter et demonstratiue, ita nec  
 numerus supposita etiam pluralitate. Vnde si *S c r i p t u r a* dixisset  
 plures esse Personas et numerum non determinasset, credo quod  
 fuissent opiniones multe de numero Personarum nulla

---

10 *relatio...Trinitatem*] Boeth., *De sancta Trin.*, 6 (180, 340) 12 *Tres...Sanctus*]  
 I Ioh., 5, 7-8; Thom., *Super Sent.*, I, 24, 1, 2, sed contra (578)

demonstratione ostendente certum numerum. Et quod dicitur de  
 numero Personarum intelligendum est de numero emanationum, 20  
 supposito tamen numero emanationum, scilicet quod sint tantum  
 due, satis efficaciter probatur ternarius Personarum, et supposito  
 ternario Personarum efficaciter concluditur binarius emanationum.  
 Quod patet sic: Persone diuine distinguntur per relationes originis,  
 ut dictum fuit; ex quo statim apparet quod in diuinis non potest 25  
 esse nisi una sola Persona que a nulla procedat; si enim essent due  
 quarum una non procederet ab alia nec ambe a tertia, tales non  
 distinguerentur inter se aliqua relatione originis, ergo per absoluta;  
 quod est impossibile in diuinis, quia sic essent plures dii. Non ergo  
 potest in diuinis esse nisi unica persona que a nulla natura 30  
 procedat; et hec uocatur Pater, qui etiam dicitur innascibilis, quia a  
 nulla procedit. Persone autem procedentes non possunt esse nisi  
 due tantum supposita qualitate emanationum, quia per unicam  
 actionem semper uniformiter se habentem nec requirentem  
 materiam in qua recipiatur, non producit nisi unum tantum. Cum 35  
 ergo emanationes diuine ad intra uniformiter semper se habeant  
 (alioquin esset uera mutatio in diuinis), nec requirunt materiam  
 ratione cuius sit in recipiendo aliqua uarietas, patet quod secundum  
 quamlibet earum producit unum tantum, iuxta numerum; ergo  
 emanationum est numerus Personarum procedentium. Supposito 40  
 ergo quod sint due emanationes, patet quod sunt tantum due  
 Persone procedentes; unica autem est non procedens; ergo  
 supposito binario emanationum patet quod est tantum ternarius  
 Personarum.

[5] Similiter supposito ternario Personarum concluditur binarius 45

---

29 sic] *omi.*: sicut  $\pi$

emanationum, quia oportet dare unam Personam a nullo  
 procedentem; alioquin esset circulus in emanatione Personarum si  
 a Patre sit Filius et ab utroque Spiritus Sanctus et rursus a Filio uel  
 a Spiritu Sancto esset Pater, quod est inconueniens; due autem sunt  
 50 tantum procedentes. Et iuxta numerum Personarum procedentium  
 est numerus emanationum, ut probatum est; ergo supposito  
 ternario personarum solum sunt emanationes, quia solum sunt due  
 Persone procedentes; prima enim non est procedens. Sic ergo  
 supposito numero emanationum concluditur sufficienter et  
 55 efficaciter numerus Personarum et econuerso. Absque autem  
 suppositione non est possibile nisi persuasiue; qui enim uoluerit  
 binarium emanationum probare per hoc quod intelligere et uelle  
 solum sunt operationes intra manentes, per quas dicunt Personas  
 procedere, quantum deficiant, ostensum fuit supra distinctione 6<sup>a</sup>.  
 60 Persuasiones que possunt adduci omitto, quia plus uolo inniti fidei  
 quam cuiusque friuole persuasioni; sufficit enim soluere rationes  
 que fiunt in contrarium.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod potentia Patris non  
 minuitur per generationem Filii; set ipsa semper est eodem modo se  
 65 habens in generatione Filii; et ideo alium Filium non potest  
 π42va producere, set semper | eundem. Vnius enim agentis ex propria sua  
 uirtute et semper eodem modo se habentis in se et in sua actione  
 impossibile est esse nisi unum productum.

[7] Ad secundum dicendum quod non omnes relationes constituunt  
 70 Personas; set ille tantum que opposite ad excludendum  
 innascibilitatem et que uni Persone conueniunt ad excludendum  
 communem spirationem; et sic remanent tantum tres relationes

---

56 qui...59 procedere] cf. Thom., *S.th.*, I, 27, 5, resp.; Henr. Gand., *Summa*, 53,  
 9 (72rC)

constitutiue trium Personarum, scilicet paternitas, filiatio et spiratio  
passiua.

Distinctionis 11<sup>e</sup>

Sententia MAGISTRI in generali speciali

5 [1] *Hic dicendum est.* Superius MAGISTER determinauit de modo  
processionis Spiritus Sancti, hic uero determinat de processionis  
principio. Et diuiditur in duas partes: primo enim ostendit Spiritum  
Sanctum procedere a Patre et Filio; secundo queritur utrum ab  
utroque procedat aliquo ordine. Secunda ibi in principio 12<sup>e</sup>  
10 distinctionis: *Item queritur.* Prima est presentis lectionis et diuiditur in  
tres: primo enim determinat ueritatem; secundo excludit errorem  
Grecorum; tertio ostendit quod Greci in hac ueritate nobiscum  
concordant realiter et plures eorum nobiscum concordant uocaliter.  
Secunda ibi: *Greci tamen dicunt.* Tertia ibi: *Sciendum tamen est.* Hec est  
diuisio et sententia MAGISTRI in generali.

15 [2] In speciali uero sic procedit. Et primo proponit quod Spiritus  
Sanctus non solum a Patre procedit, set etiam a Filio, quia a Filio  
mittitur et Spiritus Filii nominatur. Postea excludit errorem  
Grecorum et primo tangit errorem dictus, quod Greci, quia in  
Euangelio et pluribus conciliis apud eos celebratis et in  
20 Simbolo LEONIS PAPE III *Spiritus Sanctus* dicitur a Patre procedere et  
nulla fit mentio de Filio, ideo nolunt concedere quod a Filio  
procedat, imo dicunt nos excommunicatos, quia LEO PAPA aliter  
docentes excommunicauit. Et respondet MAGISTER quod illi aliud  
docent qui docent oppositum, nos autem non docemus oppositum,

---

4 1...est] Lomb., 114, 12 | Superius...Sancti] cf. Lomb., 110, 15 - 114, 9  
9 Item queritur] Lomb., 118, 4 13 Greci...dicunt] Lomb., 115, 5  
Sciendum...est] Lomb., 116, 20 15 Et...17 nominatur] cf. Lomb., 114, 12 -  
115, 3 17 Postea...23 excommunicauit] cf. Lomb., 115, 5 - 116, 2;  
20 Spiritus...procedere] cf. Ioh., 15, 26; Leo III, *Liber Pontif.*, 2 (ed. Paris,  
1892?\*, 26) 23 Et...26 referre] cf. Lomb., 116, 3-17

set doctrinam datam explanamus; in E uangelio enim solum fit 25  
 mentio de Patre, quia Filius solet omnia ad eum referre. Vltimo dicit  
 quod Greci hoc ipso, quod dicunt Spiritum Sanctum esse Filii,  
 nobiscum concordant; aliter enim non est Filii nisi quia procedit ab  
 eo. Ponit etiam expressas auctoritates Grecorum, quod Spiritus  
 Sanctus et procedit et emanat et profluit a Patre et Filio. Et in hoc 30  
 terminatur sententia in speciali.

### Questio prima

Vtrum Spiritus Sanctus procedat a solo Patre an a solo Filio an ab  
 utroque

[1] Circa distinctionem istam queruntur tria. Primo queritur utrum 5  
 Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio an a solo Patre. Et uidetur  
 quod non procedat a Filio. Primo sic: *Spiritus Sanctus non minus  
 conuenit cum Patre quam Filius* (est enim inter Personas diuinas summa  
 similitudo et summa equalitas); set *Spiritus Sanctus non communicat cum  
 Patre in generatione Filii*; ergo nec Filius communicat cum eodem in 10  
 spiratione Spiritus Sancti.

[2] Secundo unum et idem *simplex non potest esse a duobus*, quia talis  
*effectus esset simplicior sua causa*; set *Spiritus Sanctus est simplicissima  
 Persona*; ergo non potest esse a duobus Personis.

---

8 Personas] perso- π

26 Vltimo...29 eo] cf. Lomb., 116, 19-24 29 Ponit...Filio] cf. Lomb., 116, 25 -  
 117, 28 2 Vtrum...utroque] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 11, 1, 1 (276-280); *S.th.*, I,  
 36, 2-4 7 Spiritus...11 Sancti] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 11, 1, 1, arg 8 (277)  
 12 Secundo...14 Personis] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 11, 1, 1, arg 7 (277)



- 15 [3] Tertio DAMASCENUS dicit libro I capitulo 11<sup>o</sup>: *Ex Filio Spiritum*  
*Sanctum non dicimus, Spiritum uero Filii nominamus*; ergo secundum  
ipsum Spiritus Sanctus non est ex Filio.
- [4] In contrarium est quod dicitur IOANNIS 15<sup>o</sup>: *Ille me darificabit, quia*  
*de meo accipiet*; set nulla acceptio est in diuinis nisi per originem; ergo  
20 Spiritus originatur a Filio, et constat quod a Patre, etc.
- [5] Item ATHANASIUS in Simbolo: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio*  
*non factus nec creatus nec genitus, set procedens*.
- [6] Responsio. In hac questione dissentiunt Greci a nobis; licet enim  
conueniant nobiscum in hoc quod dicunt Spiritum Sanctum  
25 procedere a Patre et esse de substantia Patris, tamen non dicunt  
π42vb Spiritum Sanctum procedere a Filio, set esse Spiritum | Filii  
consubstantialem Filio. Hec autem opinio non potest habere  
ueritatem quantum ad hoc quod dicunt Spiritum Sanctum non  
procedere a Filio. Quod ALIQUI probant sic: Spiritui Sancto repugnat  
30 quod sit generans; hec autem repugnantia uel est duorum  
productorum, quod esse non potest, quia Pater a nullo producitur,  
uel duorum producentium, quod etiam esse non potest, quia Spiritus  
Sanctus nichil producit, uel est unius tanquam producentis et alterius  
tanquam producti, utpote quia spiratus est a generante, quod  
35 conuenit omni opinioni (omnis enim opinio dicit Spiritum Sanctum  
a Patre procedere); aut ergo Spiritus immediate procedit a generante,  
tunc est genitus, aut mediante alio non nisi genito; ergo necesse est  
Spiritum esse a genito, quod est nostrum propositum.
- [7] Set ad hoc posset ALIQUIS dicere quod Spiritus non potest esse

---

27 potest] pot π

---

15 Filio...nominamus] Ioh. Damasc., *De fide orthod.*, I, 8, 18 (47, 328-329);  
Thom., *Super Sent.*, I, 11, 1, 1, arg 3 (277) 18 Ille...accipiet] Ioh., 16, 14  
21 Spiritus...procedens] *Symb. Athanasian.*, 23 (42)

generans, quia est a generante immediate, non in quantum est 40  
generans, quia sic esset genitus, set in quantum spirans. Quia tamen  
generare et spirare inseparabilia sunt nec genitus potest esse spirans  
nec spiratur generans, ideo probo eandem conclusionem dupliciter.  
Primo sic: ab uno agente ex tota sua uirtute et ex necessitate nature  
& eodem modo semper se habente in se et in sua actione non potest 45  
produci immediate nisi unum; set Pater est unum agens et agit  
actione ad intra et ex tota sua uirtute et ex necessitate nature et  
semper eodem modo se habente in se et in sua actione; ergo a Patre  
non potest produci immediate nisi unum. Si ergo a Patre  
producuntur Filius et Spiritus Sanctus, oportet quod hoc sit ordine 50  
quodam: aut ergo ordine originis, quo unum est ab alio, et sic  
habetur propositum; aut ordine quo unum est prius alio, quod non  
potest esse, quia unum non potest esse prius altero, nec natura cum  
sit eadem in omnibus, nec tempore, cum uterque sit eternus. Quare  
relinquitur quod ibi est ordo quo unum est ab alio; constat autem 55  
quod Filius non est a Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus est a Filio.  
Hec autem ratio satis efficaciter probat intentum secundum  
opinionem ILLORUM qui ponunt quod sola essentia est principium  
eliciens uel elicitiuum omnium actuum notionalium, scilicet  
generandi et spirandi, quia oportet quod sint ab ea ordine quodam, 60  
cum ipsa sit una et ab uno principio naturali non procedit immediate  
nisi unum. Set secundum ILLOS qui ponunt quod potentia spirandi et  
potentia generandi important intrinsece et essentialiter relationem  
habet instantiam. Diceret enim QUIS quod licet Pater sit unum agens,  
tamen duplici hac uirtute potest immediate duo producere, quorum 65  
unum non est ab alio. Hec autem instantia refellitur ex eo quod

---

44 ab...46 unum<sup>1</sup>] cf. Steph. Tempier, *Artic. cond.*, 44 (94-95)

secundum catholicam doctrinam inter omnes Personas diuinas est ordo, quia *ubicunque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio*. In diuinis autem est pluralitas sine confusione; ergo est ibi pluralitas cum  
 70 ordine; set constat quod non est ordo quo unum est post aliud, ut probatum est; ergo est ibi ordo quo unum est ex alio, et sic idem quod prius. Item si Spiritus Sanctus esset immediate a solo Patre, sicut et Filius, processio eius esset generatio sicut processio Filii, quia procederet per modum nature, sicut Filius, sicut patet ex hiis que  
 75 dicta sunt supra distinctione 6<sup>a</sup>; hoc autem est impossibile, quia tunc essent duo geniti, idest duo filii in diuinis; quare etc.

[8] Secunda ratio talis est: Pater communicat quicquid habet a Filio excepto eo in quo ei opponitur; set Pater non opponitur Filio quo ad spirationem, set solum quo ad paternitatem et innascibilitatem, quia  
 80 spirant in quantum spirans non opponitur nisi spirato; Filius autem non est spiratus, set genitus; ergo Pater communicat Filio actiuam spirationem; si sic, ergo Spiritus Sanctus spiratur communiter a Filio et a Patre. Set contra hoc instatur: Pater in quantum generans non habet oppositionem nisi ad genitum; set Spiritus Sanctus non est  
 85 generatus; ergo Pater quo ad generare non opponitur Spiritui Sancto. Si ergo communicat illi omne illud in quo non ei opponitur, sequitur quod communicet ei generare, quod est impossibile. Non ergo Pater communicat Spiritui Sancto, et per eandem rationem nec Filio, omne illud in quo ei non opponitur; et sic maior que assumebatur uidetur  
 90 esse falsa.

[9] Est dicendum quod non est simile propter duo. Primum est, quia generare et generari habent oppositionem ad spirari mediatam, licet

---

80 spirato] *coni.*: spiratio  $\pi$

---

68 ubicunque...confusio] cf. Thom., *S.th.*, I, 42, 3, sed contra

non immediatam. Cuius ratio est | quia in per se ordinatis illud quod π43ra  
 est principium prioris est principium posterioris; in diuinis autem est  
 ordo primi, secundi et tertii, licet non sit ibi prius et posterius; et ideo 95  
 quod est principium secundi est principium tertii. Cum ergo Pater  
 per generare sit principium Filii, per consequens per ipsum est  
 principium Spiritus Sancti, licet mediatum, quia Pater per ipsum  
 generare communicat Filio uim spiratiuam qua producitur Spiritus  
 Sanctus. Et ideo eadem oppositione qua opponitur Pater et Filius 100  
 Spiritui Sancto inquantum spirantes opponuntur ei ordine quodam in  
 eo quod iste generans, scilicet Pater, ille genitus, scilicet Filius. Et  
 propter hanc oppositionem Pater et Filius non possunt  
 communicare Spiritui Sancto generare uel generari; set Pater per  
 spirare nullam oppositionem directam uel indirectam, mediatam uel 105  
 immediatam habet ad Filium; et ideo communicat ei spirare.  
 Secundo, quia proprietas personalis, que est Persone constitutua  
 non est alii Persone communicabilis, quia hoc repugnat distinctioni  
 Personarum; set si generare et generari possent communicari,  
 paternitas et filiatio, que sunt proprietates personales uel Personarum 110  
 constitutiue, possent communicari (cui enim conuenit generare, et  
 paternitas; cui conuenit generari, et filiatio); ergo generare et generari  
 non possunt communicari, quia hoc repugnat distinctioni  
 Personarum. Si autem Pater communicat Filio actiuam spirationem,  
 non repugnat distinctioni Patris et Filii, que est per paternitatem et 115  
 filiationem; et ideo communicari potest et communicatur. Esto ergo  
 quod Pater et Filius non opponuntur Spiritui Sancto quo ad generare  
 et generari, adhuc posset maior supradicte rationis suppleri sic: Pater  
 producens communicat producto Filio omne illud in quo ei non

**104** communicare] *coni.*: communicari π **107** Persone] *coni.*: per se π **111** et] *an scrib.* ei et? **112** et<sup>1</sup>] *an scrib.* ei et?

120 opponitur nec repugnat distinctioni Personarum; set Pater non  
 opponitur Filio quo ad spirare nec repugnat distinctioni Patris et Filii  
 communicatio spirationis; ergo spirare potest Filio communicari. Et  
 tunc cessat obiectio; quare generare et generari naturaliter non  
 communicantur Spiritui Sancto, quia talis communicatio repugnat  
 125 distinctioni Personarum Patris et Filii inter se a Spiritu Sancto. Si  
 enim generare et generari et per consequens paternitas et filiatio  
 possent esse in Persona Spiritus Sancti, Pater et Filius, qui primo  
 constituuntur paternitate et filiatione, non essent Persone distincte a  
 Spiritu Sancto nec inter se; propria enim unius Persone non possunt  
 130 in alia reperiri.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod Spiritus Sanctus  
 quantum ad essentiam, secundum quam attenditur similitudo et  
 equalitas, tantum conuenit cum Patre quantum Filius, set  
 oppositionibus relatiuis seu relationis plus differunt, saltem implicite,  
 135 ut uisum fuit. Et ideo non tot communicat Pater Spiritui Sancto sicut  
 Filio de actibus notionalibus, que important uel exigunt relationes.

[11] Ad secundum dicendum quod si Spiritus Sanctus procedat a  
 duobus, scilicet a Patre et Filio, procedit tamen ab eis ratione unius  
 principii simplicis, quod est uis spiratiua. Et ideo eque simplex est  
 140 principium uirtute cuius Spiritus est, sicut illud quod est ex principio  
 Spiritus Sanctus.

[12] Ad tertium dicendum quod DAMASCENUS dicit illud in nouitate  
 discordie inter Latinos et Grecos. Et ideo caute dixit nullam partem  
 asserens; dixit enim: "Spiritus non est set ex Filio" *non dicimus*, nec  
 145 dixit "Spiritus non est ex Filio", set *non dicimus Spiritum ex Filio*, nec  
 propter hoc dicit oppositum; uerum est illud quod alibi dixit

---

144 Spiritus...Filio<sup>3</sup>] cf. Ioh. Damasc., *De fide orthodox.*, I, 8, 18 (47, 328-329)

expresse, quod *Spiritus Sanctus non est ex Filio*, set hoc dicit ante promulgationem et declarationem huius articuli, etc.

150

### Questio secunda

Vtrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio,  
distingueretur ab eo

- [1] Secundo queritur utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur ab eo. Et uidetur quod sic: si Spiritus Sanctus non procederet a Patre, set tantum a Filio, adhuc distingueretur a Patre; ergo si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, set tantum a Patre, adhuc distingueretur a Filio. Consequentia | patet per simile. Probatio antecedentis, quia si non distingueretur a Patre, esset idem cum Patre; et tu dicis quod procedit a Filio; ergo Pater procederet a Filio, quod est impossibile; relinquitur ergo quod Spiritus Sanctus distingueretur a Patre, dato quod procederet a solo Filio, et similiter, ut uidetur, distingueretur a Filio, dato quod procederet a solo Patre. 5  
π43vb  
10
- [2] Secundo sic: quilibet Persona distinguitur a qualibet alia sua proprietate personali, quia per idem constituitur aliquid in se et distinguitur a quocunque alio; set proprietas Persone Filii est Filiatio; ergo per filiationem distinguitur Filius a Spiritu Sancto; set dato quod Filius non spiraret, adhuc esset Filius; ergo etc. 15
- [3] Tertio sic: si per hoc solum distingueretur Spiritus Sanctus a Filio, quia procedit ab ipso, ergo non distingueretur per alium et alium modum procedendi; set hoc est falsum dicente ANSELMO libro De 20

<sup>147</sup> Spiritus...Filio] cf. Ioh. Damasc., *De hymno trisagio epist.*, 28 (PG 95, 60D/62A) 2 Vtrum...eo] cf. Thom., *S.th.*, I, 36, 2

processione Spiritus Sancti sic: *Habent itaque esse a Patre Filius et Spiritus Sanctus, alter nascendo, alter procedendo, ut alii sint per hoc ad inuicem*; et postea subdit: *Nam si per aliud non essent diuersi, per hoc solum essent diuersi*; ergo Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio, dato quod non procederet ab illo per hoc, scilicet quod Filius aliter procederet a Patre quam Spiritus Sanctus.

[4] In contrarium arguitur quia secundum ANSELMUM libro De processione Spiritus Sancti in diuinis est *unitas ubi non obuiat aliqua relationis oppositio*; set si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nulla oppositio relationis esset inter Filium et Spiritum Sanctum; ergo essent unum.

[5] Item AUGUSTINUS VII De Trinitate capitulo 1<sup>o</sup> dicit quod Pater non distinguitur a Filio nisi quia refertur ad ipsum; set non referretur ad ipsum nisi ab eo procederet, cum in diuinis non sint reales relationes nisi originis; quare idem uidetur de Filio et Spiritu Sancto.

[6] Responsio. QUIDAM dicunt quod si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nichilominus distingueretur ab illo personaliter sicut modo; set quantum ad aliquam differentiam accidentalem modo plus differt, que differentia est per spirationem superuenientem filiationi, que constituit Filium in esse personali. Semper enim persona et per se differentia Personae diuinae a qualibet alia est per proprietatem personalem. Cetere autem superuenientes sunt quasi accidentales, quibus sublatis remanet prima differentia,

23 itaque] utique *Ans.* 25 ad] ab *Ans.* 34 VII] *ani.*: 6. π

23 Habent...25 inuicem] Anselm., *De proass. Spir. S.*, 1 (185, 3-5)

25 Nam...diuersi<sup>2</sup>] Anselm., *De proass. Spir. S.*, 1 (185, 10-11)

30 unitas...oppositio] Anselm., *De proass. Spir. S.*, 1 (181, 2-3)

35 Pater...ipsum] cf. Aug., *De Trin.*, VII, 1, 2 (247, 115 - 248, 123)

que est per se. Et ideo Filius per se et primo differt personaliter a qualibet Persona in eo quod Filius, set quasi per accidens differunt a Spiritu Sancto in eo quod spirans, qua sublata remanet prima.

[7] Confirmatur autem hec opinio unica ratione preter eas que facte sunt in arguendo et est talis: illa que procedunt diuersis emanationibus quas impossibile est eidem conuenire necessario distinguuntur; set dato quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, set uterque simul a Patre, nichilominus procederent diuersis emanationibus quas impossibile esset eidem conuenire; ergo etc. Maior patet, quia ubi est causa sufficiens distinctionis, ibi oportet ponere distinctionem. Minor patet per autoritatem ANSELMI prius allegatam in 3<sup>a</sup> ratione et per rationem sic: distinctorum principiorum sunt distincte productiones et distincta producta; set uis generatiua et spiratiua in Patre sunt distincta principia, quod patet ex hoc quod una communicatur Filio, scilicet spiratiua, et non alia, scilicet generatiua; ergo ab hiis principiis sunt distincte emanationes et distincta producta. Esto ergo quod uis spiratiua non communicaretur Filio, adhuc per distinctionem uirtutis generatiue et spiratiue in Patre emanationes ab hiis principiis sic essent distincte quod non possent eidem per se conuenire. Et hec fuit minor; sequitur ergo conclusio.

[8] Et adducunt ISTI quod secundum illam uiam distingueretur Filius a Spiritu Sancto per relationes originis, non quidem oppositas, set disparatas. Et hec est prior ratio distinguendi Personas ad inuicem quam per relationes oppositas; secundum enim doctrinam beati DYONISII De diuinis nominibus *omnis multitudo reducitur ad*

---

67 adducunt] *an scrib. addunt?* 71 Dyonisii] *scr.: Dionysii*  $\pi$

71 *omnis...ordine*] cf. Procl., *El.th.*, 21 (14, 2-3); Thom., *In De diu nomin.*, 11, 2, 910 (337)



*unitatem* quodam ordine; nam maior semper reducitur ad minorem  
 quousque ad unitatem. Vnde pluralitas Personarum, inter | quas est  
 π43va maxima distinctio que possit esse in diuinis, quia est per oppositas  
 75 relationes, reducitur ad multitudinem disparatarum originum, que  
 licet non sint opposite uel disparate, eidem tamen conuenire non  
 possunt. Hee autem reducuntur ulterius ad pluralitatem  
 principiorum, que sunt uis spiratiua et generatiua, que tamen eidem  
 conueniunt. Hec autem reducuntur ad pluralitatem attributorum, que  
 80 sunt intellectus et uoluntas, que est solum secundum rationem. Et  
 hec reducuntur ulterius ad unum simplicium attributorum, quod est  
 esse. Ex quo ergo prior est pluralitas disparatarum originum quam  
 relationum oppositarum, quia hec ad illam reducitur tanquam maior  
 multitudo ad minorem, que est prior, manifestum est quod amota  
 85 posteriore distinctione, que est per oppositas relationes, adhuc  
 remanebit prior distinctio, que est per disparatas origines, quibus  
 poterunt Filius et Spiritus Sanctus distingui. Vbi enim sunt plures  
 cause sufficientes alicui effectui, si auferatur una remanente alia,  
 adhuc remanebit effectus; set distinctionis Personarum sufficiens  
 90 causa est oppositio relatione originum et similiter disparatio  
 originum; ergo amota oppositione originum, secundum suppositum  
 quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, cum remanebit  
 disparatio originum, remanebit distinctio Personarum. Hec est  
 opinio cum rationibus suis.  
 95 [9] Hec autem opinio non potest stare, quia dato quod essent tales  
 diuersi modi emanandi, tamen non sufficerent ad personalem  
 distinctionem productorum; set sicut Pater est una Persona habens  
 duas proprietates, secundum quas dicitur generans et spirans, sic

77 Hee] *coni.*: Hæc π 79 reducuntur] *coni.*: reducentur π 92 remanebit] *coni.*:  
 remanebat π

esset una Persona emanans a Patre habens duas proprietates, secundum quas diceretur spirata et generata. Quod patet sic: 100  
 ubicunque est causa sufficiens et formalis distinctionis, ibi oportet esse distinctionem; set plures relationes disparate sunt in Patre producente et non distingunt ipsum in plures Personas; ergo relationes disparate non sunt cause sufficientes distinctionis Personarum; set si Spiritus Sanctus non procederet a Filio nec 105  
 econuerso, inter eos non essent nisi relationes disparate; ergo non possent differre personaliter, set solum sicut differt una Persona a seipsa secundum diuersas proprietates, ut dictum est.

[10] Set ad hoc respondent ALIQUI quod non oportet quod tanta distinctio sit in principiis sicut in principiatis. Quod patet, quia idem 110  
 homo per naturam generat filium et per artem facit arcam, et hec duo differunt secundum suppositum, licet natura et ars non distinguant producentes in duo supposita. Aliqua ergo sufficiunt ad distinctionem productorum secundum suppositum que non sufficiunt ad distinguendum producens: ex uno enim principio multa 115  
 procedunt. Similiter dicunt in proposito quod relationes disparate sufficiunt ad distinguendum supposita producta, scilicet Filium et Spiritum Sanctum, non autem ad distinguendum producens, scilicet Patrem.

[11] Set istud non ualet, quia licet ab uno agente multa possint 120  
 produci, qualitercunque hoc sit, ut infra dicemus, tamen impossibile est et contradictionem implicans quod principia formalia et sufficientia distinctionis sint alicubi et ibi non sit distinctio; simile enim esset acsi diceretur quod albedo esset in aliquo et illud non esset album. Et ideo impossibile est et contradictionem implicans 125  
 quod illa que formaliter distingunt principiata, secundum supposita sint in principio et non distinguant ipsum; ubicunque enim principio

existente uno principiata sunt multa, ibi necesse est aliquid esse in  
 principiatis quo distinguntur, quod non est in principio; aliter esset  
 130 oppositum in adiecto. Quod manifeste apparet in exemplo eorum:  
 arca enim et filius habent aliquid in se quo distinguntur secundum  
 supposita, quia hoc est homo, illud uero lignum. Et si hec essent in  
 Patre artifice, necessario distinguerent ipsum in plura supposita  
 producentia, sicut distingunt producta, et si non esset in productis,  
 135 sicut nec in principio producente, non plus distinguerent producta  
 quam principium producens. Verbi gratia aliquis pater generat filium  
 et per artem suam fabrilem uel grammaticam instruit ipsum et facit  
 ipsum fabrum uel grammaticum; et certe non plus distingunt filium  
 140 natura humana et ars fabrilis uel grammatica quam patrem, quia  
 utrobique est eadem causa distinctionis; et similiter est in omnibus  
 aliis. Non ualet ergo dicta responsio.

[12] Set contra hoc iterum arguunt ALII, quia ab uno agente  
 possunt esse plures productiones essentielles; set tales non possunt  
 unius esse producti, licet eius possint esse plures productiones  
 145 accidentales, uel una essentialis et alia accidentalis, ut in exemplo  
 adiecto de filio genito et facto grammatico. In diuinis autem non  
 est productio accidentalis, set omnes sunt essentielles. Et ideo  
 diuerse productiones in diuinis et relationes eis correspondentes  
 sufficiunt ad distinguendum Personas productas, non autem  
 150 Personam producentem.

[13] Set illud non ualet, quia ubi producens constituitur  
 productione actiua, sicut productum productione passiuua, eque  
 impossibile est ab uno agente esse plures productiones essentielles,  
 sicut impossibile est eas esse eiusdem producti, quia utrumque

---

132 lignum] *coni.*: signum  $\pi$

equaliter productione constituitur; set in diuinis Persona producens 155  
 constituitur productione actiua, sicut Persona producta  
 productione passiuia; ergo sicut impossibile est eiusdem Persone  
 producte esse plures productiones passiuas et essentielles, sic est  
 impossibile eiusdem Persone producentis esse plures productiones  
 actiuas et essentielles, et sic in proposito, quia si solus Pater esset 160  
 producens in quantum generans et in quantum spirans, una sola  
 productio esset essentialis per quam constitueretur in esse  
 personali, ut nunc est, alia uero accidentalis pro tanto quia  
 adueniret Persone iam constitute, scilicet spirare. Similiter circa  
 unam et eandem Personam productam una processio esset 165  
 essentialis, scilicet generari, correspondens ei quod est generare,  
 alia uero accidentalis, scilicet spirare, quia adueniret Persone iam  
 constitute; isto enim modo est aliquid accidentale in diuinis.

[14] ALII aliter respondent dicentes quod relationes quatenus  
 disparate non sufficiunt ad distinguendum Personas, set quatenus 170  
 sunt proprietates personales, eo quod secundum idem aliquid  
 constituitur in se ipso et distinguitur a quolibet alio; filiatio autem  
 et spiratio passiuia sunt proprietates personales; propter quod  
 sufficiunt distinguere Filium a Spiritu Sancto; set sola paternitas in  
 Patre est personalis, spiratio autem actiua aduenit Persone Patris 175  
 iam constitute; ideo non est personali uel constitutiua Persone; ideo  
 non sufficit ad plurificandum Personam Patris.

[15] Set hoc non ualet, quia si rationes disparate et personales  
 sufficiunt ad distinguendum relatione uel relatiue Personas  
 productas; eadem ratione sufficerent ad distinguendum Personas 180  
 producentes relatione absque distinctione essentie et ita possemus  
 ponere duas Personas a nullo procedentes que distinguerentur  
 relationibus disparatis absque distinctione essentie; hoc autem est

falsum; secundum enim omnes in diuinis non possunt esse plures  
 185 Persone a nullo procedentes quin sequatur pluralitas et distinctio per  
 essentiam, quod non esset si relationes qualescunque, duntaxat  
 disparate, sufficerent ad distinguendum Personas; possemus enim  
 dicere quod sunt due Persone a nullo procedentes que distinguuntur  
 inter se relationibus disparatis, quia ab eis procedunt alie due  
 190 processionibus disparatis. Cum ergo hoc sit impossibile, relinquatur  
 quod et illud ex quo sequitur, scilicet quod relationes disparate  
 qualescunque sint sufficiant ad distinguendum Personas.

[16] Aduertendum tamen est quod ratio precedens, cui totus  
 processus solutionis innititur, nulla est si ponatur quod paternitas et  
 195 communis spiratio in Patre non differunt realiter, set solum  
 secundum rationem, quia nullum argumentum est dicere quod  
 relationes sola ratione differentes non distinguunt realiter Personas,  
 ergo relationes realiter differentes non distinguunt eas. Cum ergo  
 processio et filiatio differant realiter si paternitas et spiratio non  
 differant realiter, nulla consequentia est dicere quod si paternitas et  
 200 spiratio non distinguunt Personam Patris in plures Personas, quod  
 propter hoc filiatio et processio, que differunt realiter, non sufficiunt  
 ad distinguendum Personam Filii a Persona Spiritus Sancti, | propter  
 π44ra quod illi hanc rationem posuerunt, uidentur tunc sensisse quod  
 205 paternitas et spiratio differunt in Patre realiter. Per hoc patet  
 responsio ad rationes aliorum.

[17] Cum enim dicitur quod illa que procedunt diuersis  
 emanationibus etc., concedatur; tunc ad minorem per  
 interemptionem. Et cum probatur quod diuersorum principiorum  
 210 sunt diuerse emanationes, potest dici quod uis generatiua et  
 spiratiua secundum QUOSDAM non sunt distincta principia, set  
 unum et idem, scilicet ipsamet essentia diuina fecunda, que potest

in hos duos actus, qui sunt generare et spirare ordine quodam, et secundum hoc sortitur duo nomina.

[18] Vel dato quod essent duo distincta principia secundum aliam opinionem, que ponit quod potentia generandi et spirandi includunt respectum, tamen hec principia talia sunt quod se compatiuntur inuicem in eodem supposito. Et similiter productiones que sunt ab hiis principiis et termini productionum poterunt se compati in eodem supposito nec sufficient ad distinguendum supposita, nisi oppositio relationis sit ibi, sicut prius declaratum est. 215 220

[19] Reductio autem multitudinis ad unitatem secundum <modum> quem assignant nulla est; dicunt enim quod pluralitas que est per relationes oppositas, que est maxima, reducitur ad pluralitatem originum disparatarum. Hoc autem esse non potest, quia relationes opposite, ut paternitas et filiatio, attenduntur secundum unam et eandem originem, etiamsi non essent nec esse possent plures origines disparate; nec pluralitas originum reducitur ad pluralitatem principiorum, quia possunt esse ab eodem principio ordine quodam, ut QUIDAM dicunt; nec pluralitas principiorum ad pluralitatem attributorum, quia illa est posterior, ut dictum fuit in questione de attributis. 225 230

[20] Aliter ergo attendenda est ista reductio. Cum enim pluralitas Personarum sit aliquorum se habentium in ratione principii et principiatum, per hoc fit reductio ad unitatem, quia inter eas est una a qua alie procedunt ordine quodam: tertia quidem a prima mediante secunda et sic ternarius Personarum reducitur ad binarium 235

---

224 modum] *suppl.*: *om. π (an supplendum ordinem?)*

231 nec...posterior] cf. supra, I, 2, 2, [11]-[12] (18va-b)

Personarum principiantium. Rursum inter Personas principiantes  
 240 una est principians et non principiata, ut Pater, alia principians et  
 principiata, ut Filius, et reducitur in eam ut ad principium primum,  
 et sic totum reducitur ad unum.

[21] Ad rationes principales. Ad primam, cum dicitur quod si  
 Spiritus Sanctus non procederet a Patre, set tantum a Filio adhuc  
 245 distingueretur a Patre, dicendum quod hec positio non solum est  
 impossibilis, set etiam impossibilis, hoc est implicans  
 contradictionem. Cum enim Filius sit a Patre et hoc de ratione eius,  
 impossibile est aliquid procedere a Filio quod non procedat Patre,  
 saltem mediate. Tu autem ponis quod Spiritus Sanctus procedat a  
 250 Filio et non a Patre, ergo procedit a Patre et non a Patre, quod est  
 impossibile. Et ideo non est mirum si ex hoc sequantur  
 impossibilia, scilicet quod distinguatur a Patre, quia ponitur  
 procedere et sic opponi, et quod non distinguatur, quia ponitur  
 non procedere et non opponi; non sic autem esset si poneretur  
 255 Spiritus Sanctus procedere a solo Patre, quia hec positio, licet sit  
 impossibilis, non tamen includit impossibilia sub hoc modo  
 quod una Persona esset genita et spirata ab uno generante et  
 spirante.

[23] Ad secundum dicendum quod cum dicitur quod quelibet  
 260 Persona distinguitur a qualibet sua proprietate personali, dicendum  
 quod non est ita, imo per proprietatem quamcunque solum  
 distinguntur ab illis, cum quibus habent opponi. Et cum probatur  
 quod per idem constituitur aliquid in se et distinguitur a quocunque  
 alio, dicendum quod illud solum ueritatem habet in absolutis, quia  
 265 sola absoluta sunt proprie aliquid in se et ad se; relativa uero potius  
 sunt ad aliud et ideo non distinguntur nisi per hoc quod sunt ad aliud  
 et quia sunt ad aliud per alium et alium respectum: eo quod respectus

plurificatur iuxta numerum terminorum, ideo talia distinguntur a pluribus Personis per plures respectus. De numero autem talium sunt Personae diuinae, quae sunt et dicuntur relatiue. Et ideo una Persona habens plures proprietates per unam earum non distinguitur ab omnibus aliis, set per omnes nec per unam solum | constituitur in esse incommunicabili et distincto ab omnibus, set per omnes simul; et expresse hoc dicit ANSELMUS in libro De processione Spiritus Sancti circa finem: quia sicut collectio plurium accidentium siue proprietatum, quae ita inuenitur in uno supposito quod non in alio constituit indiuiduum, ita collectio plurium proprietatum, puta paternitatis et spirationis actiue in Patre, filiationis et spirationis actiue in Filio, constituit has Personas in esse incommunicabili et distincto ab omnibus, uerum est quod harum proprietatum una dicitur personalis, scilicet illa quae prima intelligitur aduenire Personae et nullam aliam supponit et soli Personae conuenit, ut paternitas in Patre et filiatio in Filio, quia per talem proprietatem constituitur, ceterae autem non dicuntur personales, ut innascibilitas et communis spiratio, quia aut non uni Personae conueniunt tantum, ut communis spiratio, aut aliam proprietatem presupponunt, ut innascibilitas et communis spiratio.

[24] Ad tertium dicendum quod si emanationes, quae sunt generatio et natiuitas et processio, possent remanere eiusdem rationis, ut prius facta suppositione predicta, tunc Filius et Spiritus Sanctus distinguerentur, ut prius, non possent autem remanere eiusdem rationis cum predicta suppositione, imo una esset substantialis et alia accidentalis, ut prius dictum fuit. Et si poneretur quod remanerent eiusdem rationis, positio haec non solum esset

274 expresse...finem] cf. Anselm., *De process. Spir. S.*, 16 (217, 17-18)



295 impossibilis, set etiam impossibilis; ex ea enim sequeretur  
 contradictio, scilicet quod Personae per has emanationes producte  
 distinguerentur personaliter eo quod emanationes substantiales  
 essent, et quod non distinguerentur personaliter, quia carerent  
 formali principio distinctionis, quod  
 300 est oppositio relatiua.

### Questio tertia

Vtrum Pater et Filius spirent Spiritum Sanctum in quantum unum an  
 in quantum plures

- 5 [1] Ad tertium sic proceditur. Et uidetur quod Pater et Filius non  
 spirent Spiritum Sanctum in quantum sunt unum, quia actus sunt  
 suppositorum; set spirare est actus Patris et Filii; ergo est eorum ut  
 sunt supposita; set in hoc sunt plura et non unum; ergo Pater et  
 Filius spirant in quantum sunt plures et non in quantum sunt unum.
- 10 [2] Item omnis nexus est duorum uel plurium ut plures; set Spiritus  
 Sanctus procedit a Patre et Filio ut nexus eorum; ergo procedit ab  
 eis ut plures sunt, et non ut unum.
- [3] In contrarium est quod Pater et Filius sunt plures solum  
 paternitate uel filiatione uel innascibilitate et nascibilitate; set  
 15 neutrum horum est Patri uel Filio ratione spirandi Spiritum Sanctum;  
 ergo oportet quod hic sit aliquid quod sit in eis unum, et ita spirant  
 in quantum unum. Maior patet de se, set minor probatur, quia Pater,

---

2 Vtrum...plures] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 11, 1, 4 (283-285); *S.th.*, I, 36, 4

inquantum est innascibilis, nullius est productiuus, quia priuatio uel negatio nullius est principium uel causa in essendo inquantum est, aut Pater est solum productiuus Filii; nascibilitas autem et filiatio sunt proprietates producti non producentis; ergo per hoc quod Pater et Filius sunt plures, non habent Pater et Filius quod spirent Spiritum Sanctum; quare etc. 20

[4] Responsio. Questio ista non est de re, set de modo loquendi; tenent enim omnes quod Pater et Filius sunt duo supposita, que per unam et eandem uim spiratiuam spirant Spiritum Sanctum. Quo supposito queritur utrum propter dualitatem suppositorum dicendum sit quod spirent inquantum plures, an propter unitatem uirtutis spiratiue dicendum sit quod spirant inquantum sunt unum in ui spiratiua. 25 30

[5] Ad quod sciendum accipiendum est quod omnis uera reduplicatio dicit causam inherentie predicati cum subiecto, ut cum dicitur quod ignis inquantum calidus calefacit, inquantum leuis mouetur sursum, et sic de ceteris.

[6] Hoc supposito est duplex modus dicendi ad questionem. Primus est quod Pater et Filius spirant inquantum sunt unum in ui spiratiua. Quod probatur sic: reduplicatio facta super agens respectu actionis denotat principium | actionis; hoc patet, quia principium quo agens agit est ei ratio quare actio ei conuenit, ut patet in exemplis inductis; set principium quo elicitur actus spirandi est uis spiratiua; ergo reduplicatio facta super Patrem et Filium respectu actionis spirandi denotat uim spiratiuam; set in illa Pater et Filius sunt unum; ergo debet dici quod Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum inquantum sunt unum, et nullo modo inquantum sunt plures. Quod autem Pater 35 40

---

28 spirent] *anscrib.* spirant?

45 et Filius sint unum in uis spiratiua, patet, quia nichil simplex et unum  
 numero potest esse a pluribus ita quod sit a quolibet perfecte, nisi illa  
 duo conueniant in aliquo uno secundum numerum ratione cuius  
 producant tertium, quia si essent distincte uirtutes in pluribus et per  
 unum illorum et secundum unam uirtutem produceretur totum aliud  
 50 nichil faceret, set omnino superflueret; Spiritus autem Sanctus  
 producitur perfecte a Patre et perfecte a Filio; ergo Pater et Filius  
 conueniunt in una uirtute secundum numerum, secundum quem  
 producant Spiritum Sanctum, nec huic obstat pluralitas  
 suppositorum, quia licet in pluribus suppositis natura differentibus  
 55 non possit esse una uirtus numero, potest tamen in suppositis sola  
 oppositione relationis differentibus, ut sunt inter Pater et Filius.

[7] Secundus modus ponit quod reduplicatio potest denotare  
 conditionem suppositi agentis uel conditionem uirtutis actiue. Primo  
 modo Pater et Filius spirant in quantum sunt plures propter  
 60 pluralitatem suppositorum; secundo modo spirant in quantum sunt  
 unum propter unitatem uirtutis spiratiue. Hoc autem probatur  
 eodem modo quo prius, sic: reduplicatio potest denotare omne illud  
 quod est causa inherentie predicati cum subiecto; set tam pluralitas  
 suppositorum agentium quam unitas uirtutis spiratiue dicunt causam;  
 65 quare spirare competit Patri et Filio; ergo ratione utriusque potest  
 fieri reduplicatio. Maior patet ex dictis supra. Minor declaratur sic:  
 actus spirandi duo habet; est enim unus actus et simplex et est actus  
 per modum uoluntatis; quantum ad primum uis spiratiua, que est una  
 numero in Patre et Filio, est ratio quod spirare conuenit Patri et  
 70 Filio, et ita debet dici quod spirant in quantum sunt unum; quantum  
 ad secundum, scilicet ut actus spirandi est per modum uoluntatis,  
 pluralitas suppositorum est eius ratio, quia ut dictum fuit supra

distinctione 6<sup>a</sup>, propter hoc in diuinis dicitur aliqua emanatio esse per modum uoluntatis, quia est a pluribus et quia supponit aliam productionem ad intra. Et secundum hoc debet dici quod Pater et Filius spirant in quantum sunt plures; iste est secundus modus. 75

[8] Nunc autem restat uidere quid ueritatis habeat uterque modus. Circa quod sciendum est quod in actu spirandi est considerare duo, actum scilicet et modum. Si consideremus actum solum, sic Pater et Filius non spirant in quantum unum nec in quantum plures, set in quantum habent uim spiratiuam. Cuius ratio est quia omnis actus secundum illud quod est, exclusa omni alia conditione, respicit suum principium, uirtute cuius elicitur secundum illud quod est, exclusa omni alia conditione; potentia enim que nominat principium actus est illud quo possumus nullo alio addito; alioquin non esset potentia cum hec sit ratio potentie, quod etiam patet in omnibus. Calefacere enim absolute acceptum est ab habente potentiam calefactiuam et disgregatiue ab habente potentiam disgregatiuam nec plus requiritur; siue enim calefaciens sit unum siue plura, siue uirtus calefactiua sit una seu plures, totum accidit; unde et uidemus omnia hec uariari; contingit enim quod calefacere est ab uno et per unam uirtutem, et contingit quod est a pluribus et per plures uirtutes. Cum ergo spirare sit quidam actus, ipse ut sic acceptus secundum illud quod est solum est ab habente uim spiratiuam; quod hec uis spiratiua sit una uel plures in uno uel in pluribus, hoc accidit. Et quia reduplicatio non denotat id quod est per accidens, ideo non est dicendum quod Pater et Filius spirent in quantum sunt plures, uel in quantum sunt unum, set solum in quantum habent uim spiratiuam. Item patet per simile: sicut se habet generare ad Patrem, sic spirare ad Patrem et Filium; set 80 85 90 95

---

73 propter...75 intra] cf. supra, I, 6, 2, [17]-[18] (31vb)

100 nos non dicimus quod Pater generat inquantum unus nec propter  
 unitatem suppositi nec propter unitatem uirtutis generatiue, set  
 π44vb tantum quod Pater generat | inquantum habet potentiam generandi;  
 ergo similiter non est dicendum quod Pater et Filius spirant  
 inquantum plures quoad supposita aut inquantum unum in ui  
 105 spiratiua, set absolute inquantum habent uim spiratiuam. Si autem  
 consideremus non solum actum, set modum actus, adhuc potest esse  
 dupliciter, quia possumus circa actum considerare modum realem,  
 quem habet in se et in habitudine ad sua principia, utpote quod est  
 actus unus et simplex a Patre et Filio producens ita quod a quolibet  
 110 perfecte, et sic debemus dicere quod Pater et Filius spirant  
 inquantum sunt unum in ui spiratiua. Cuius ratio est quia  
 reduplicatio notat causam inherentie predicati cum subiecto; set ratio  
 quare spirare et omnis actus ut simplex et unus fit a pluribus ita quod  
 a quolibet fit, perfecta est sola unitas uirtutis productiue, in qua illa  
 115 plura conueniunt et sunt unum, ut probatum est prius; ergo hoc  
 debet denotare reduplicatio dicendo quod Pater et Filius spirant  
 inquantum sunt unum, et sic procedit prima opinio, et bene; uel  
 possumus circa actum spirandi considerare modum et habitudinem  
 eius ad extrinseca secundum quandam similitudinem ratione cuius  
 120 sortitur tale nomen, utpote quia spirare est a duobus, similitudinem  
 habet cum actibus que sunt a uoluntate, ut expositum fuit supra 6<sup>a</sup>  
 distinctione; et ideo sortitur hoc nomen, quod dicitur esse per  
 modum uoluntatis, et quantum ad hoc dicunt ILLI de secunda  
 opinione quod Pater et Filius spirant inquantum sunt plures.  
 125 [10] Set istud non uidetur bene dictum, quia licet procedere a

---

112 predicati] *coni.*: predicari π

---

120 similitudinem...122 distinctione] cf. supra, I, 6, 2, [17]-[18] (31vb)

pluribus sit ratio nominis, quare talis actus sic uocetur, et ideo posset dici quod actus quo producit Spiritus Sanctus dicitur esse per modum uoluntatis, quia est a pluribus, quorum quodlibet habet potentiam totum producendi, tamen nos non querimus hic de nomine, set de re que est causa uel ratio secundum quam actus quo producit Spiritus Sanctus, qualitercunque uocetur, conuenit Patri et Filio. Et patet ex precedentibus quod pluralitas suppositorum nullo modo est huius causa uel ratio. Et ideo nullo modo est dicendum quod Pater et Filius spirent in quantum sunt plures; propter quod secunda opinio minus est conueniens quam prima. Nichilominus et prima deficit in hoc quod non distinguit, ut distinctum est, set quantum ad secundum membrum distinctionis bene dicitur. Et pro ea est dictum ANSELMI *Monologion* capitulo 58°, ubi dicit quod Spiritus Sanctus est ex Patre et Filio *non in quantum plura sunt, set in quantum unum*, et determinatio Concilii que habetur *Extra, De summa Trinitate et fide catholica* libro VI.

[11] Ad primum argumentum dicendum quod actiones sunt suppositorum ut illorum que agunt, set in quantum non reduplicat id quod agit, set rationem agendi. Esto etiam quod reduplicaret tam unum quam alterum, hoc esset secundum id quod sunt, et non secundum rationem unius uel plurium nisi modo quo dictum fuit, et inferre unum ex alio esset figura distinctionis ex mutatione modi predicandi, ut si dicatur sic: actiones sunt suppositorum secundum quod sunt supposita; set Pater et Filius sunt plura supposita; ergo sunt ut plura; mutatur hic quid in quantum.

138 *Monologion*] *sr.*: monolog  $\pi$  (*an scrib.* Monologio?) | 58°] *an scrib.* 54°?

139 Spiritus...unum] cf. Anselm., *Monolog.*, 54 (66, 21-22)  
 140 *Extra...catholica*] cf. *Sextus Decretalium Bonifatii VIII*, I, 1, 1 (ed. Friedberg, II, 937)\*\*; Duns Scot., *Ord.*, I, 12, 1 (27, 7-10)

[12] Ad secundum dicendum quod Spiritus Sanctus dicitur nexus Patris et Filii, tum quia uniuntur una vi spiratiua, que est causa uel ratio spirandi Spiritum Sanctum, quia in ipsomet Spiritu Sancto et Pater et Filius uniuntur tanquam in communi producto. Et illud  
155 unum in quo primo nectuntur est eis ratio producendi secundum in quo secundo nectuntur. Cum ergo dicitur quod Spiritus Sanctus procedit ut nexus Patris et Filii, dicendum quod uerum est sub hoc sensu quod Spiritus Sanctus procedit ab eis ut nexi sunt in una vi productiua Spiritus Sancti et in qua sunt unum. Et ideo procedit  
160 quidem a duobus, scilicet in quantum conueniunt in uno in quo nectuntur.

Sequitur distinctio 12<sup>a</sup>

Sententie litere MAGISTRI in generali et speciali

[1] *Item queritur*. Superius determinauit MAGISTER de principio Spiritus Sancti ostendens quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio; hic uero inquit utrum sit | aliquis ordo inter Patrem et Filium respectu processionis Spiritus Sancti. Et diuiditur in tres partes: primo enim ostendit quod inter Patrem et Filium in procedendo et Spiritum Sanctum non est ordo temporis; secundo ostendit quod non est ibi ordo pulchritudinis uel dignitatis; tertio ostendit quod ordo nature et autoritatis. Secunda ibi: *Nunc tractandum est*. Tertia ibi: *Dicit tamen AUGUSTINUS in XV libro*. Prima diuiditur in duas: primo mouet dubitationem; secundo soluit. Secunda ibi: *Hiis et huiusmodi questionibus*. Hec diuisio et sententia MAGISTRI <in> generali. 5  
π45ra

[2] In speciali uero sic procedit. Et querit primo utrum Spiritus Sanctus prius procedat a Patre quam a Filio. Et arguit ad hoc hereticus sic: aut Spiritus Sanctus procedit a Patre *nato Filio, aut non nato; si nato*, ergo natiuitas Filii precedit processionem Spiritus Sancti, quod est inconueniens; *si non nato*, ergo *ante* procedit Spiritus Sanctus a Patre quam Filius nasceretur. Postea soluit secundum AUGUSTINUM dicens quod nullus est ibi ordo temporis ubi omnia sunt eterna, nec habet ibi locum questio utrum nato Filio an non nato procedit Spiritus Sanctus. Postea ostendit quod non plenus 15  
20

---

12 XV] *scr. cum Lombardo*: 5. π 14 in] *suppl.:* om. π

---

4 Item queritur] Lomb., 118, 4 | Superius...6 Filio] cf. Lomb., 114, 12 - 117, 28  
11 Nunc...est] Lomb., 119, 3 12 Dicit...libro] Lomb., 119, 8  
13 Hiis...questionibus] Lomb., 118, 13 15 Et...20 nasceretur] cf. Lomb., 118, 4-11 20 Postea...23 Sanctus] cf. Lomb., 118, 12-25; Aug., *De Trin.*, XV, 26, 45 et 47 (524, 1-5; 527, 76 - 528, 89) 23 Postea...alio] Lomb., 119, 3-6



procedit ab uno quam ab alio. Vltimo ponit auctoritates per quas  
 25 uidetur Pater plus habere in productione Spiritus Sancti quam Filius,  
 quia quedam auctoritates dicunt quod *Spiritus Sanctus procedit a Patre*  
*principaliter*, et quia Filius attribuit Patri processionem Spiritus Sancti  
 in E uangelio, que omnia non nominant maiorem dignitatem in  
 Patre, sed auctoritatem in spirando, que auctoritas in hoc consistit  
 30 quod Filius habet a Patre quod potuit ab ipso procedere Spiritus  
 Sanctus.

Et in hoc terminatur sententia huius distinctionis in speciali.

35

### Questio prima

Vtrum generatio Filii sit prior processione Spiritus Sancti

[1] Circa distinctionem istam queritur de tribus: primum est utrum  
 generatio Filii sit prior processione Spiritus Sancti; secundum est  
 40 utrum Spiritus Sanctus plenius et perfectius procedat a Patre quam a  
 Filio; tertium est utrum Spiritus Sanctus sit a Patre mediante Filio an  
 per Filium. Ad primum sic proceditur. Et uidetur quod generatio  
 Filii sit prior processione Spiritus Sancti, quia sicut est in trinitate  
 creata, sic uidetur esse in increata, quia una exemplata est ab alia; set  
 45 in trinitate creata productio uerbi natura precedit productionem  
 amoris; ergo in Trinitate increata productio Filii precedit  
 productionem Spiritus Sancti.

---

24 Vltimo...27 principaliter] cf. Lomb., 119, 7 - 120, 27 27 et...31 Sanctus] cf.  
 Lomb., 120, 28 - 121, 21; Ioh., 15, 26 36 37 38 39 40 41 42 43  
 44 45 46 47

- [2] Item sicut se habet generatum ad spiratum, sic generatio ad spirationem; set generatum prius est spirato cum sit principium eius; ergo generatio prederet spirationem. 50
- [3] In contrarium est quod dicitur in Symbolo ATHANASII quod *in Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus.*
- [4] Et arguitur per rationem, quia sicut se habet Pater ad Filium, sic Pater et Filius ad Spiritum Sanctum; set Pater nullo modo est prior Filio, ut probatum fuit supra distinctione 9<sup>a</sup>; ergo nec Filius potest esse prior Spiritu Sancto; quare nec generatio Filii potest esse prior processione Spiritus Sancti, quia sicut se habet terminus ad terminum, sic actio ad actionem. 55
- [5] Responsio. Cum queritur de prioritate generationis Filii respectu processionis Spiritus Sancti, aut queritur de prioritate secundum rem aut secundum rationem intelligendi. Si de prioritate secundum rem, sic dicunt QUIDAM quod inter generationem Filii et spirationem Spiritus Sancti est quidem per se ordo originis quo unum est ab altero, set non est ibi ordo prioris aut posterioris. Primum probant sic: Spiritus Sanctus per se est a genito; ergo spirari per se est a generari. Probatio tam antecedentis quam consequentie. Consequentia patet sic: quando aliqua per se sunt unum et idem re, maxime relata in diuinis, quicquid ad originem pertinens dicitur per se de uno et de altero, et ratio est quia origines in diuinis attenduntur secundum relata et inter relata; set generari et genitus et spirari et Spiritus sunt per se unum et idem re non solum in absoluto, set in re relata; | ergo quicquid ad originem pertinens dicitur de genito et spirato per se, utpote quod unum fit ab altero per se, hoc competit ei 60  
65  
70  
π45rb

48 49 50 51 | Vtrum...Sancti] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 12, 1, 1 (289-291); *S.th.*, I, 42, 3 et 45, 7in<sup>2</sup>...minus] *Symb. Athanasian.*, 25 (42) 54 Pater<sup>2</sup>...9a] cf. supra, I, 9, 2 (40vb-41rb)

quod est generari, et spirari, scilicet quod spirari fit per se a generari  
 75 realiter loquendo, licet quoad nomen sit improprius modus loquendi  
 propter alium modum significandi. Quod autem generari et genitus  
 et spirari et Spiritus sint idem re et per se patet, quia excluso motu ab  
 actione et passione soli respectus remanent a quo aliud et quod ab  
 alio; set a generatione et spiratione diuina excluditur omnis motus;  
 80 ergo remanent soli respectus ita quod generatio actiua et spiratio  
 actiua dicunt solum respectum a quo est aliud per talem uel per  
 talem modum; generari autem et spirari dicunt respectum solum, ut  
 quod ab alio secundum talem uel talem modum; set per respectum  
 originis passiuæ constituitur per se Persona, que est terminus originis;  
 85 ergo generari et spirari passiuæ accepta, cum sint soli respectus, sunt  
 idem per se cum genito et spiratio; et hec fuit minor. Patet ergo  
 consequentia, scilicet quod si Spiritus est per se a genito, quod spirari  
 per se est a generari, quia idem sunt generari et genitus, spirari et  
 Spiritus. Antecedens patet, scilicet quod Spiritus sit per se a genito,  
 90 quia de ratione spirati est esse productum ab aliquo prius producto,  
 set illud non potest esse nisi genitum cum in diuinis non sit nec esse  
 possit preter spirationem aliqua productio nisi generatio; ergo  
 Spiritus est per se a genito, dico autem `per se', quia licet Filius sit a  
 patre spirante productus, hoc tamen accidit modo quo aliquid potest  
 95 accidere in diuinis, quia non est de ratione Filii quod producat a  
 spirante, quia posito per impossibile quod Pater non spiraret, adhuc  
 tamen intelligeretur ut generans Filium; set in proposito nostro nullo  
 modo intelligeretur spiratum nisi esset productum a genito et per  
 consequens a generante saltem mediante; propter quod inter  
 100 spiratum ex una parte et genitum et generantem ex alia est ordo

---

89 sit] *an scrib. fit?*

originis; ergo inter spirari ex una parte et generari et generare ex alia est similis ordo.

[6] Istud autem non uidetur, scilicet quod Spiritus sit per se a genito et generante, quia cuicumque competit quod ab ipso sit Spiritus per se, ei competit quod sit spirans per se; set genito et generanti non 105 competit per se quod sint spirantes; ergo non competit eis per se quod ab ipsis sit Spiritus. Maior patet, quia Spiritus in quantum est Spiritus non potest esse nisi a spirante in quantum est spirans. Minor patet, quia si genito et generanti competit per se esse spirantes, tunc hec est uera "genitum in quantum genitum est spirans et generans 110 in quantum generans est spirans", quia in propositionibus per se semper potest fieri reduplicatio subiecti, eo quod est ibi ratio inherentie predicati cum subiecto, ut dicendo "homo in quantum homo est animal risibile" uel "interfectum in quantum interfectum interiit". Et similiter in proposito debet esse, maxime quia aliter non 115 concluderetur intentum; quicquid enim conuenit generanti uel genito nisi eis conueniat in quantum sunt generans et genitum, non potest ex hoc concludi quod conueniat per se generanti. Set iste non uidentur uere "genitum in quantum genitum est spirans" uel "generans in quantum generans est spirans"; quod enim genitum in quantum 120 genitum non sit spirans, patet, quia omne genitum in quantum genitum est productum; ergo nullum genitum in quantum genitum est producens, ergo nec spirans, per locum a destructione superioris. Et probatur consequentia, quia licet relatio producentis et producti possint conuenire eidem subiecto respectu diuersorum, tamen una 125 nunquam potest esse alia nec causa seu ratio alterius. Verbi gratia aqua calefit ab igne et calefacit manum, ecce ratio producentis et

---

115 proposito] *scr.*: propositio  $\pi$

producti in aqua respectu diuersorum, scilicet ignis et manus; set  
 certe esse calefactum non est esse calefacientem, nec aquam esse  
 130 calefactam est causa siue ratio sibi calefaciendi manum, set eam esse  
 calidam, et quamuis non sit calida nisi calefacta ab igne, tamen esse  
 calefactam, quod precise sonat in rationem producti, nullo modo est  
 ei ratio per se calefaciendi aliud, quia cessante calefactione et  
 remanente calore certe adhuc potest calefacere, etsi aqua haberet  
 135 calorem ex se et non ab alio calefaceret. Eodem modo est in  
 proposito, quia eidem supposito Filii conuenit ratio producti et  
 producentis respectu diuersorum, tamen esse productum uel  
 π45va genitum | non est esse producentem uel spirantem nec esse genitum  
 per se est ei ratio spirandi alterum, set uis spiratiua. Et quamuis hec  
 140 non sit in Filio nisi per generationem, tamen ipsa generatio per  
 accidens se habet ad spirationem, quia si in Filio esset uis spiratiua  
 non per generationem habita sicut est in Patre, adhuc Filius spiraret;  
 non spirat; ergo in quantum genitus.

[7] Item nec Pater spirat in quantum generans, quia hoc esset aut  
 145 quia generare et spirare sunt idem, sicut superius et inferius, et tunc  
 ista uerificaretur "Pater in quantum generans est spirans", sicut ista  
 "Sortes in quantum albus est coloratus", aut quia actus generandi  
 esset Patri ratio spirandi, sicut calor est igni ratio calefaciendi.  
 Primum non potest dici, quod scilicet spirare sit superius ad  
 150 generare, licet hoc dicant QUIDAM quod spirare in Patre est realiter  
 idem quod generare, et in Filio est idem realiter quod generari, ita  
 quod spirare in sua communitate acceptum est superius ad  
 generare et generari. Hoc enim est uerum, sicut infra probabitur, et  
 nunc supponitur. Nec secundum potest dici, quia si generare Patri

129 calefactum] *an scrib.* calefactam?      132 calefactum] *sr.:* calefacta π  
 rationem] *oni.:* ratione π

esset ratio spirandi, cum generare non conueniat Filio, aut Filius 155  
 non spiraret, aut in Patre et Filio non esset idem principium et ratio  
 spirandi; quorum utrumque est falsum, quia et Filius spirat et idem  
 principium et ratio spirandi est in Patre et Filio; nullo modo ergo  
 generans inquantum generans est spirans, nec genitus inquantum  
 genitus est spirans, ut prius ostensum est; ergo spiritus non est per 160  
 se a genito nec a generante inquantum huiusmodi; quare nec  
 spirare est per se a generari. Item impossibile est quod eadem actio  
 secundum numerum sit a pluribus ut pluribus, ut plura sunt et ut in  
 nullo conueniunt, set spirare Spiritum Sanctum est una actio  
 secundum numerum; generans autem et genitum inquantum 165  
 huiusmodi sunt plura et ut plura sunt, nec in aliquo uno secundum  
 numerum conueniunt inquantum generans et genitum; ergo spirare  
 non est per se a generante nec a genito, ut ILLI dicunt.

[8] Quod concedimus dicentes quod inter generationem Filii et  
 spirationem Spiritus Sancti est quidem ordo originis; set non per se 170  
 et directe, set indirecte et concomitatiue et quasi per accidens, eo  
 modo quo per accidens potest reperiri in diuinis. Ad quod  
 sciendum notanda sunt tria. Primum est quod nulla actio dependet  
 ex precedente passione nisi quia terminus passionis est principium  
 actionis; sic enim aqua calefacit prius calefacta, inquantum calor 175  
 terminans calefieri aque est principium calefaciendi alterum. Sic  
 etiam passio dependet a passione, ut moueri ipsius grauis  
 dependeret a suo generari, inquantum forma grauis, que est  
 terminus generationis est priucipium motus sequentis.

[9] Secundum est quod principium sequentis actionis potest esse 180  
 terminus precedentis passionis dupliciter, scilicet per se uel per  
 accidens: per se, sicut calor aque est terminus calefactionis sue  
 passiue; per accidens uero et concomitatiue, sicut calefieri ossium

terminatur ad albedinem, scilicet per accidens ratione materie; nam  
 185 quedam ossa calefacta rubescunt, quedam nigrescunt; albedo autem  
 est per se principium disgregandi.

[10] Tertium est quod passio precedens, que terminatur ad  
 principium actionis sequentis, potest se habere ad ipsum dupliciter:  
 uno modo, sicut fieri transiens manente termino, et sic se habet  
 190 calefieri aque ad calorem suum (manet enim aqua aliquo tempore  
 calida postquam cessauit calefactio); alio modo, sicut fieri  
 permanens necessario cum termino, sicut illuminari aeris manet  
 quandiu manet lumen in aere.

[11] Hiis suppositis patet quod ubi principium sequentis actionis est  
 195 solum terminus per accidens precedentis actionis uel passionis, sicut  
 albedo ossis, que est per se principium disgregandi, est terminus per  
 accidens calefactionis ossis, ibi sequens actio est solum per accidens  
 ex precedente actione uel passione, sicut in exemplo de osse  
 disgregatio est solum per accidens ex calefactione. Cuius ratio est  
 200 quia sequens actio non est ex precedente actione uel passione nisi  
 propter habitudinem unius et eiusdem respectu utriusque in ratione  
 termini et principii; ubi ergo illud unum quod est medium se habet  
 ad alterum extremorum per accidens, tota habitudo extremorum est  
 π45vb per accidens inter se; ubi | uero passio precedens se habet ad  
 205 terminum suum sicut fieri transiens manente termino ibi sequens  
 actio ex precedente actione uel passione solum per accidens. Cuius  
 ratio est quia effectus in actu requirit causam in actu, et maxime  
 effectus qui est in fieri; set sequens actio que est actus, est secundum  
 fieri cessante priore passione, sicut aqua calida calefacit manum  
 210 postquam desiit calefieri; ergo sequens actio non est per se ex

---

203 alterum] *scr.*: Iterum π

precedente actione. Et forte causa est quia precedens actio uel passio  
 est causa termini solum in fieri; ille terminus secundum suum esse  
 est causa sequentis actionis; propter quod precedens actio uel passio  
 non est causa per se, set per accidens. Vbi autem illa duo concurrunt,  
 scilicet quod principium actionis esset per accidens terminus 215  
 precedentis uel passionis, et actio uel passio precedens se haberet ad  
 terminum suum sicut fieri transiens manente termino, ibi sequens  
 actio esset ex precedente actione uel passione per accidens duplici de  
 causa, ut dictum est. Vbi uero principium sequentis actionis esset per  
 se terminus precedentis actionis uel passionis et ad ipsum se haberet 220  
 precedens actio uel passio ut fieri necessario permanens cum  
 termino, ibi sequens actio esset ex precedente actione uel passione  
 per se, maxime si principia precedentis actionis uel passionis et  
 sequentis actionis sint ordinata per se, quod pro tanto dicitur, quia  
 non est ordo originis inter actiones passiones nisi secundum ordinem 225  
 principiorum; nec est proprius modus loquendi dicere quod actio sit  
 ex actione uel passione secundum quod principium sequentis  
 actionis est a principio precedentis actionis uel passionis.

[12] Ex hoc ad propositum: certum est quod Filio conuenit per se  
 spirare in quantum habet uim spiratiuam, per quam est per se 230  
 principium Spiritus Sancti. Hanc autem habet per suum generari; set  
 absque dubio generatio Filii non terminatur per se et directe ad uim  
 spiratiuam, set solum concomitatiue, quia per <accidens>  
 generationem concomitatur; per se enim terminatur generatio  
 tanquam ad terminum ad illud solum quod per generationem est 235

216 precedentis] *an supplendum* actionis?      233 accidens] *suppl.: om. π*  
 234 generationem] *scr.: ganerationem π*



productum in genito, et illud est sola relatio filiationis, ut dictum fuit  
 supra distinctione 7<sup>a</sup>; filiatio autem nec est uis spiratiua nec in ea per  
 se includitur; ergo principium spirationis non est per se terminus  
 240 spirari non a generari per se et directe, set quasi per accidens et  
 concomitatiue. Item per generationem qualitercunque acceptam uis  
 spiratiua non habet esse, set tantum habet esse in Filio (est enim in  
 Patre et non per generationem); set spiratio non est a generatione  
 245 qualitercunque accepta actiue uel passiue nisi ratione uirtutis  
 spiratiue; ergo spiratio non est a generatione nisi prout est in Filio,  
 non autem prout est a Patre immediate, quia Pater non habet uim  
 spiratiuam per aliquam generationem; ergo spiratio per se et  
 simpliciter non est a generatione, set solum secundum quid.

[13] Quod autem arguunt ALII, quod de ratione spirati est quod sit ab  
 250 aliquo prius producto, dicendum quod non est uerum, set solum  
 quod sit ab aliquo habet uim spiratiuam. Nec est de ratione uirtutis  
 spiratiue quod sit in aliquo producto, nec de ratione producti per  
 generationem est per se et directe quod habeat uim spiratiuam, set  
 solum concomitatiue inquantum generans concomitatiue  
 255 communicat genito omne illud in quo ei non opponitur; per se  
 autem non habet genitum inquantum genitum a generante nisi illud  
 tantum secundum quod conuenit ei esse productum, et hec est  
 filiatio, et istud in quo est productum, scilicet essentia, in cuius  
 identitate producitur, ut dictum fuit. Et si dicatur quod de ratione  
 260 spirati est quod procedat per modum uoluntatis, qui modus supponit  
 aliquod productum per modum intellectus, a quo est illud quod

---

236 in genito] *sc.*: ingenito  $\pi$  251 habet] *con.*: habent  $\pi$

---

236 illud...7a] cf. supra, I, 7, 2, [19] (33ra-b)

procedit per modum uoluntatis, et ita spiratum per se est ab aliquo  
 producto, [14] dicendum quod hic est duplex defectus. Primus est  
 quia non est de ratione spirationis quod sit per modum uoluntatis;  
 set competit ei hec denominatio per habitudinem ad creaturas ex hoc 265  
 quod supponitur esse a duobus, ut prius dictum fuit; unde dummodo  
 spiratio sit a duobus aut supponat aliquam priorem emanationem,  
 qualitercunque hoc sit, per se uel per accidens, semper potest dici per  
 modum uoluntatis. Secundus defectus est, quia licet emanatio | per  $\pi$ 46va  
 modum uoluntatis supponat quandam aliam, tamen non est de 270  
 ratione producti per modum uoluntatis quod sit a producto per  
 priorem emanationem, sicut patet in creaturis, ex quo hoc nomen  
 tractum est (amor enim quamuis supponat uerbum, tamen non est a  
 uerbo tanquam a principio producente ipsum.) Et similiter potest  
 dici quod Spiritus supponit aliquid productum per generationem, set 275  
 non probatur quod sit ab illo per se tanquam a principio productiuo.  
 Et ideo ratio illa magis arguit ordinem presuppositionis quam  
 principiationis uel originis. Sic ergo patet primum, scilicet qualiter  
 inter generari et spirari est ordo originis.

[15] Secundum patet, scilicet quod inter generationem et 280  
 processionem non est ordo prioris posterioris secundum rem uel  
 uniuersaliter in diuinis. Quod probatur sic: si in diuinis esset ordo  
 prioris et posterioris secundum rem, hoc esset comparando absoluta  
 inter se uel absoluta ad relationem uel relationes adinuicem. Non  
 primo modo, scilicet comparando absoluta inter se, quia in diuinis 285  
 non est realis pluralitas absolutorum; prius autem et posterius  
 secundum rem necessario requirunt realem pluralitatem, quia idem  
 respectu sui ipsius non est prius et posterius; quare etc. Nec secundo  
 modo, scilicet comparando absoluta ad relationem, quia uel esset ibi  
 prius et posterius natura uel duratione. Hec enim uidentur 290

sufficienter prius et posterius diuidere secundum rem: non natura  
(non enim est ibi pluralitas naturarum; relatio enim non est alia  
natura ab essentia); nec duratione, quia quicquid est in diuinis  
absolutum uel relatum est eternum, quare etc. Nec tertio modo,  
295 uidelicet comparando unam relationem ad aliam, quia uel hoc esset  
comparando relationes oppositas adinuicem uel comparando  
relationes disparatas: non primo modo, quia relationes opposite sunt  
simul omni modo simultatis, natura et intellectu, adeo quod  
contradictionem implicat esse uel intelligere unam alteri. Propter  
300 quod satis est intelligibile illud quod ALIQUI dicunt, scilicet quod  
Pater est prior Filio, non quidem natura uel duratione, set origine,  
quia Filius originatur a Patre et non econuerso. Hoc enim contradicit  
rationi et dicto beati AUGUSTINI: rationi quidem, quia ubi producens  
constituitur in esse personali per suum producere uel per relationem  
305 producentis et productum constituitur in esse personali per suum  
produci uel per relationem producti, ibi unum non potest esse prius  
altero, secundum originem; set Pater in diuinis constituitur in esse  
personali per generare uel per paternitatem, que est relatio  
generantis, et utrumque est idem; et Filius consimiliter constituitur in  
310 esse personali per generari uel per filiationem, que est relatio geniti;  
ergo Pater nullo modo est prior Filio per originem. Minor de se  
patet, set maior probatur, quia productio neque re neque intellectu  
potest precedere produci, nec uniuersaliter aliqua origo actiue  
accepta originem passiuę acceptam; alioquin in illo priori aliquis  
315 posset esse et intelligi actu producens et quod nichil produceretur,  
quod est inintelligibile et impossibile; quamuis ergo Persona

---

316 inintelligibile] *omi.*: intelligibile  $\pi$

---

303 Augustini] cf. Aug., *Contra Maximin.*, II, 14, 8 (PL 42, 775); *De Trin.*, XV, 26, 47 (527, 76 - 528, 89)

producens possit prius esse Persona producta quando natura formaliter constituitur in esse personali per producere et produci, sicut est in creaturis, tamen in diuinis, ubi Persone constituuntur in esse personali per originem, impossibile est ullo modo intelligere aliquam prioritatem, maxime originis; que prioritas originis, quamuis possit esse inter duas origines passiuæ acceptas, ut patet in creaturis (prius enim originatur flos quam fructus), tamen talis prioritas non potest esse inter originem passiuæ sumptam et actiuæ, neque in Deo neque in creaturis, quia semper simul sunt re et intellectu, sicut relationes eis correspondentes.

[16] Item ponere talem prioritatem in diuinis expresse contradicit dicto beati AUGUSTINI *Contra Maximinum*, quod recitatur in I libro *Sententiarum* distinctione 20<sup>a</sup>, ubi dicitur sic: cum dicitur Filius a Patre genitus, *non ostenditur inequalitas substantiæ, set ordo nature, non quo alter prior sit altero, set quo alter est ex altero*; ecce quod expresse ponit originis ordinem quo alter est ab altero, quod negat prioritatem originis qua unus sit prior altero. Et sic patet quod inter relationes oppositas et Personas per eas constitutas [et sic] non est aliqua prioritas realis.

[17] De rationibus autem disparatis et realiter differentibus, | ut sunt paternitas et filiatio ex una parte et processio et spiratio passiuæ ex altera, difficilius est probare quod non sit inter eas aliqua prioritas realis seu ex natura rei. Verumtamen ad hoc probandum potest applicari ratio prius posita de substantia et relatione, quia omnis prioritas realis uidetur esse secundum naturam uel secundum

---

321 originis<sup>2</sup>] *scr.*: origenis π 329 20a] *scr.*: 2. π 334 et sic] *sed*.

---

330 non...altero<sup>2</sup>] cf. Aug., *Contra Maximin.*, II, 14, 8 (PL 42, 775); Lomb., *Ser.*, I, 20, 3 (174, 16-17)

durationem; set una relationum disparatarum non est prior altera natura, quia non sunt diuerse nature, nec duratione, quia quelibet est eterna, ergo etc.

345 [18] Contra rationem istam et contra conclusiones ad quas adducta est, instatur ab ALIQUIBUS. Contra rationem sic: non omnis pluralitas realis requirit differentiam nature uel dutationis; ergo non omnis prioritas realis. Consequentia tenet per simile, quia non minus requirit pluralitas differentiam quam prioritas. Antecedens probatur,  
350 quia opposite relationes in diuinis necnon disparate, saltem filiatio et processio, sunt plures et tamen non differunt natura, quia sunt una natura, nec duratione, quia sunt eterne, ergo non omnis realis pluralitas requirit pluralitatem naturarum, nec successione durationis, ergo nec realis prioritas hoc requirit. Super hoc tamen fundatur  
355 totaliter predicta ratio, ergo male.

[19] Contra conclusiones autem instatur sic: et primo contra primam probando quod essentia diuina prior est quacunque relatione prioritate naturalis presuppositionis. Et hoc sic: tantum differunt essentia et relatio in diuinis quantum in creaturis, maxime secundum  
360 opinionem ILLORUM qui dicunt quod in creaturis fundamentum et relatio non faciunt compositionem sicut nec in diuinis. Vtrobique enim inuenitur absoluta et relatiuum uel relatio et simplicitas ex quibus non est compositio, nec hic nec ibi; set in creaturis inter fundamentum et respectum est ordo naturalis presuppositionis non  
365 obstante quod non sunt diuerse nature facientes compositionem; ergo idem est in diuinis. Minor probatur, quia respectus presupponit naturaliter suum fundamentum, fundamentum autem non presupponit respectum.

---

350 relationes] *coni.*: relationis  $\pi$  365 sunt] *an scrib.* sint?

[20] Contra secundam conclusionem instatur sic: illud quod aduenit  
 Persone diuine iam constitute supponit illud quod est constitutum  
 Persone, et non econuerso; set communis spiratio non constituit  
 aliquam Personam, set aduenit Persone iam per aliud constitute,  
 scilicet per paternitatem uel filiationem; ergo ipsa presupponit  
 naturaliter tam paternitatem quam filiationem, et non econuerso;  
 quare ut uidetur, ipsa est posterior eis naturali presuppositione. Et  
 confirmatur, quia productum presupponit producens quod non  
 constituitur per producere; set Pater et Filius producunt Spiritum  
 Sanctum ipsum spirando nec constituuntur in esse personali per  
 actum spirandi; ergo Pater et Filius presupponuntur a Spiritu Sancto;  
 hec autem presuppositio non solum est secundum intellectum, set ex  
 natura rei; ergo <etc> .

[21] Quicquid sit de ratione illa an ualeat an non (difficile enim est  
 efficacem rationem adducere ad ea que tangunt materiam fidei),  
 conclusiones tamen ad quas probandas adducta est possunt  
 rationabiliter sustineri et defendi necnon et ipsa ratio, dicendo quod  
 realis pluralitas et realis prioritas requirunt realem differentiam; set  
 prioritas super hoc addit antecessionem ratione cuius non potest  
 inueniri in diuinis, in quibus cum unitate essentie est pluralitas sola  
 relationum originis, inter quas si sint opposite, nulla est prioritas, nec  
 realis nec secundum intellectum, ut dictum fuit. De disparatis autem  
 patet idem sic: nichil quod sit in Filio precedit quodcunque eorum  
 que sunt in Patre, quia quicquid habet Filius habet a Patre; Pater  
 autem nichil habet a Filio nec a quocunque alio, set a seipso; set  
 spiratio actiua in Patre; ergo filiatio non precedit ipsam, set processio  
 seu spiratio passiuia simul est omni modo simultatis cum spiratione

---

381 etc] *suppl.: om. π*

actiua cum sint relationes oppositae; ergo filiatio nullo modo precedit  
 secundum rem spirationem passiuam seu processionem nec per  
 consequens paternitas, que simul est cum filiatione; et sic patet quod  
 nulla relatio diuina precedit realiter aliam, neque oppositam, neque  
 400 disparatam.

[22] Ad primam rationem qua probatur quod essentia prior est  
 relatione secundum ordinem naturalis presuppositionis, | dicendum  
 π46va quod non est simile de essentia et relatione in diuinis, et in creaturis,  
 quia <in> creaturis omnis relatio realis connotat uel requirit aliam  
 405 naturam a natura fundamenti ratione cuius potest esse posterior  
 natura fundamenti sui, set in diuinis relatio non requirit nec connotat  
 aliam naturam natura fundamenti ratione cuius possit esse posterior  
 realiter natura sui fundamenti.

[23] Ad secundam rationem, que nititur probare quod paternitas et  
 410 filiatio presupponitur spirationi actiue, dicendum per  
 interemptionem minoris quod realiter loquendo Pater generat Filium  
 de sua essentia et in sua essentia communicando ei essentiam suam  
 cum omnium proprietate non opposita filiationi. Et ideo sicut Filius  
 non est realiter prius Filius quam habens essentiam diuinam in qua et  
 415 ex qua genitus est a Patre, sic non est realiter prius Filius quam  
 habens essentiam diuinam cum spiratione, quia talis est a Patre et  
 talis communicatur ei a Patre. Sicut ergo realiter loquendo diuinitas  
 non aduenit Filio constituto in esse personali, set est de constitutione  
 eius per quam est Deus sicut Pater, et differt ab omni, eo quod non  
 420 est Deus sicut Pater, sic spiratio loquendo realiter non aduenit Filio  
 iam constituto in esse personali, set est de constitutione eius, et per  
 eam est spirans ut Pater, et differt ab omni non spirante sicut et

---

404 in] *suppl.*: om. π | *realis*] *omi.*: rea π

Pater. Vnde quamuis Pater et Filius constituentur in esse personali solum per paternitatem et filiationem, prout Pater solum distinguitur a Filio et econuerso, tamen non prout distinguitur personaliter a Spiritu Sancto, imo de personali constitutione eorum est communis spiratio. Quod ergo dicitur, quod communis spiratio non constituit aliquam Personam, uerum est de unica tantum, set constituit duas, scilicet Personam Patris et Filii quantum ad distinctionem personalem quam habent ad Spiritum Sanctum, ita quod Pater ut est Persona distincta ab omni alia Persona diuina non constituitur in esse personali precise per solam paternitatem, imo cum ea per spirationem; et idem est de Filio et filiatione communi spiratione. Et hec est sententia ANSELMI De processione Spiritus Sancti in fine.

[24] Per idem patet responsio ad aliam rationem quod Pater et Filius ut distincti personaliter a Spiritu Sancto constituuntur in esse personali per actum spirandi quo producunt Spiritum Sanctum, quamuis Pater ut precise distinctus a Filio constituatur a sola paternitate, et Filius ut distinctus solum a Patre constituatur sola filiatione. Et ob hoc Pater et Filius secundum rationem intelligendi sunt priores Spiritu Sancto, quia distinctio eorum inter se non includit spirationem, set secundum rem Pater simul est Pater et spirans, et Filius simul est Filius et spirans, nec est ibi realis prioritas aliqua. Si uero queratur de priori et posteriori secundum rationem intelligendi, sic dicendum est quod in diuinis est ordo prioris et posterioris secundum rationem comparando absoluta inter se et essentiam ad relationes et unam relationem disparatam ad aliam, et

---

439 a<sup>2</sup>] *an sedudendum?* 440 constituatur] *an supplendum a?*

---

433 Et...435 fine] cf. Anselm., *De process. Spir. S.*, 16 (216, 29 - 217, 16)



Personas per eas constitutas. Constat enim quod in diuinis  
 450 preintelligimus intellectum uoluntati, quorum utrumque est  
 absolutum; nam sicut in nobis intellectus realiter prior est uoluntate,  
 sic in Deo prior est secundum rationem, quia qualem ordinem  
 realem habent aliqua, ubi differunt realiter, talem ordinem rationis  
 habent, ubi differunt solum secundum rationem; essentia autem  
 455 diuina preintelligitur cuilibet relationi, quia cum ipsa sit communis  
 omnibus Personis, relationes autem non, intellectus eius prior est  
 intellectu relationum. Similiter cum paternitas sit in Patre proprietas  
 constitutua eius, spiratio autem non, saltem ut distinguitur a Filio,  
 quia si poneretur per impossibile quod non esset Persona tertia in  
 460 diuinis, adhuc Pater esset Pater et non esse spirans, patet quod  
 paternitas preintelligitur in Patre spirationi; et idem de filiatione in  
 Filio respectu eiusdem spirationis et per eandem rationem Pater et  
 Filius ut sic preintelliguntur Spiritui Sancto.

[25] Est autem hic aduertendum quod ordo rationis non ex eodem  
 465 sumitur inter omnia dicta, quia ordo rationis, qui est in diuinis inter  
 absoluta (puta intellectum, uoluntatem et consimilia), non sumitur ab  
 intellectu nisi comparando Deum ad creaturas, in quibus quia talia  
 differunt realiter et unum est realiter prius altero, intellectus concipit  
 quod | similia differant in Deo saltem secundum rationem et quod  
 π46vb 470 habeant consimilem ordinem rationis, ut alias declaratum fuit; set  
 differentia et ordo rationis inter essentiam diuinam et relationes et  
 inter relationes disparatas necnon et Personas per eas constitutas non  
 oportet quod sumatur ex aliqua comparatione diuinorum ad  
 creaturas, quinimo in ipsis diuinis secundum se et ex natura rei est  
 475 sufficiens fundamentum concipiendi talem ordinem. Ob hanc  
 causam QUIDAM uocauerunt hunc ordinem ordinem naturalis  
 presuppositionis, non quod sint ibi diuerse nature quarum una

presupponat aliam, quia in diuinis non est nisi una natura que est  
 essentia diuina, set quia ex sola natura rei non comparando diuinam  
 naturam creaturis prestatu sufficiens fundamentum quod unum 480  
 preconciatur alteri; non sic est autem de pure absolutis, ut dictum  
 fuit. De relationibus autem oppositis et de Personis per eas  
 constitutis ut sic non est idem iudicium, quia inter talia nullus est  
 ordo prioris aut posterioris etiam secundum intellectum, eo quod  
 talia simul sunt intellectu, quia unum includitur in intellectu alterius; 485  
 ratio enim relatiuorum est esse ad aliud quod est correlatiuum. Et sic  
 patet qualis ordo prioris et posterioris secundum intellectum est in  
 diuinis.

[26] Ad primum argumentum dicendum quod non oportet sic esse  
 per omnia in Trinitate increata sicut est in trinitate creata, quia una 490  
 non perfecte representat aliam, imo in pluribus deficit quam  
 assimiletur; propter quod licet in trinitate creata sit prius et posterius  
 secundum rem propter diuersitatem nature, tamen non est sic in  
 Trinitate increata, in qua est unica natura. Ad secundum dicendum  
 quod generatus ex hoc quod est principium spirati, non est prior 495  
 spirato; principium enim est ex quo aliud nec est de ratione principii  
 quod post ipsam sit aliud, nec duratione nec natura, nisi in quibus  
 principium differt essentialiter a principiato, quod non est in diuinis.

[27] Ad argumentum in oppositum: quamuis concludat uerum de  
 prioritate secundum rem, tamen de prioritate secundum rationem 500  
 non est simile de Patre ad Filium et de utroque ad Spiritum Sanctum,  
 quia Pater et Filius distinguntur inter se relationibus oppositis, que  
 sunt simul natura et intellectu; set Pater et Filius respectu Spiritus  
 Sancti constituuntur relationibus disparatis, quarum una potest alteri  
 preintelligi, ut declaratum fuit; que prioritas secundum intellectum 505  
 sumitur sufficienter ex natura rei absque comparatione ad creaturas

et ob hoc uocata est a QUIBUSDAM prioritas naturalis  
presuppositionis, quamuis ALIIS uideatur et non irrationabiliter quod  
iste modus loquendi in hac materia sit improprius et nimis extensus.

510

### Questio secunda

#### Vtrum Spiritus Sanctus perfectius procedat a Patre quam a Filio

- 5 [1] Ad secundum sic proceditur. Et uidetur quod Spiritus Sanctus  
plenus, uel perfectius procedat a Patre quam a Filio, quia *propter*  
*quod unumquodque tale et illud magis*; set Filius habet a Patre quod ab  
ipso procedat Spiritus Sanctus; ergo magis procedit a Patre.
- [2] In contrarium est quia ubi est summa equalitas, ibi non potest  
10 esse magis uel minus, perfectius uel imperfectius, quia summa  
equalitas priuat omnem gradum; set in diuinis est summa equalitas;  
ergo etc.
- [3] Responsio. Dicenda sunt duo: primum est quod Spiritus Sanctus  
non procedit plenius uel perfectius a Patre quam a Filio; secundum  
15 est quod procedit ex ipso pincipalius. Primum patet sic: ubi non est  
intensio et remissio in principio uirtute cuius plura producunt unum,  
ibi productum non est perfectius aut plenius ab uno quam ab altero;  
set principium producendi Spiritum Sanctum, quod est uis spiratiua,  
non est perfectius aut plenius in Patre quam in Filio, cum sit in eis  
20 una numero non recipiens intensionem et remissionem, nec ratione

---

508 aliis] *sr.*: alis  $\pi$

2 Vtrum...Filio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 12, 1, 2 (291-293) 6 propter...magis]  
cf. *Auct. Ar.*, 35, 29 (313, 18-19); Arist., *An. Post.*, I, 2, 72a29-30

essentie nec propter naturam respectus, si respectum includat; ergo Spiritus Sanctus non procedit magis uel plenius a Patre quam a Filio.

| [4] Secundum patet sic: principalius est spirare a se quam ab alio; π47ra  
 set Pater spirat a se, Filius autem ab alio, quia uirtute spirandi habet  
 alio, scilicet a Patre; ergo Pater spirat principalius quam Filius. Vnde 25  
 AUGUSTINUS XI De Trinitate capitulo 18° dicit sic: *Non frustra,*  
*inquit, in hac Trinitate non dicitur Verbum nisi Filius, nec Donum nisi*  
*Spiritus Sanctus nec de quo est genitum Verbum et de quo principaliter procedit*  
*Spiritus nisi Deus Pater.* Nec sequitur ex hoc quod Filius habeat  
 aliquod minus Patre, quia spirare uel non spirare principaliter non 30  
 attenditur secundum aliquid absolutum et essenziale, set solum  
 secundum modum habendi uim spiratiuam, qui modus est secundum  
 relationem dantis et accipientis.

[5] Ad argumentum in oppositum dicendum quod *propter quod*  
*unumquodque* etc non tenet in agentibus participantibus eandem 35  
 formam numero eque perfecte, set solum in agentibus equiuocis uel  
 uniuocis habentibus eandem formam specie secundum diuersos  
 gradus quorum unus est perfectior altero, ut est de calore in igne et  
 in ceteris. In diuinis autem Pater et Filius habent eandem uim  
 numero spiratiuam a Patre et est eiusdem gradus perfectionis, licet 40  
 Filius habeat eam a Patre; et ideo principalius habet eam Pater quam  
 Filius, set non habet perfectius; propter quod potest dici quod Pater  
 principalius spirat quam Filius, quia a se spirat, set non perfectius.

45

---

26 Non...29 Pater] Aug, *De Trin.*, XV, 17, 29 (503, 54-57)  
 34 propter...unumquodque] cf. *Aut. Ar.*, 35, 29 (313, 18-19); *Arist., An. Post.*,  
 I, 2, 72a29-30

Questio tertia

Vtrum Spiritus Sanctus sit a Patre per Filium

[1] Ad tertium sic proceditur. Et uidetur quod Spiritus Sanctus  
 5 procedat a Patre mediante Filio uel per Filium, quia quod conuenit  
 principio et principiatio, non conuenit eis eque immediate et primo;  
 set spirare Spiritum Sanctum conuenit Patri et Filio sicut principio  
 et principiatio; ergo non conuenit utrique immediate et primo. Cum  
 ergo non conueniat Filio mediante Patre, ergo conuenit Patri  
 10 mediante Filio.

[2] Contra: cum aliquis operatur per alium tanquam per medium,  
 potest fieri conuersio; sicut enim *rex operatur per balium*, ita dicitur  
 balium operari per regem; set nullo modo dicitur quod Filius spirat  
 per Patrem; ergo nec econuerso, scilicet quod Pater spiret per  
 15 Filium.

[4] Item ubi non est prius et posterius, ibi est eque immediate primo;  
 set in processione Spiritus Sancti a Patre et Filio non est prius et  
 posterius; ergo etc. Maior uidetur esse manifesta, set minor probatur  
 sic, quia si Spiritus Sanctus procederet prius a Patre quam a Filio,  
 20 sequeretur quod bis procederet; eadem enim processione indiuisibili  
 non potest prius et posterius procedere.

[4] Responsio. Dicendum quod in Patre et Filio respectu actus  
 spirandi possumus considerare duo: actus enim spirandi egreditur ab  
 aliquo supposito mediante forma et ideo actus spirandi potest referri  
 25 ad formam que est spirationis principium uel ad supposita spirantia.

---

25 spirantia] *scr.*: spirantiae.

---

2 Vtrum...Filiu] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 12, 1, 3 (293-295); *S.th.*, I, 36, 3  
 12 rex...baliu] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 12, 1, 3, sol. (295); *S.th.*, I, 36, 3, resp.

Si ad formam que est spirationis principium, sic Pater non producit Spiritum Sanctum mediante Filio, set immediate producitur ab utroque. Cuius ratio est quia eiusdem ad se ipsum non est medium; set uis spiratiua est una et eadem numero in Patre et Filio; ergo quantum ad hanc unum non est respectu alterius in spirando Spiritum Sanctum. Si autem actus spirandi compararetur ad supposita a quibus egreditur, sic cum inter Patrem et Spiritum Sanctum Filius sit tanquam media Persona uirtutem spirandi a Patre recipiens, potest dici quod Pater producit Spiritum Sanctum mediante Filio et sub eodem sensu potest dici quod Pater producit Spiritum Sanctum per Filium.

[5] Vbi est notandum quod hec prepositio `per` denotat habitudinem principii; hoc potest dici dupliciter: uno modo sic ut illud sit agenti cui additur ut agat, sicut dicimus quod ignis agit per calorem, et hoc modo non conuenit Patri agere uel producere Spiritum Sanctum per Filium, quia Filius non est principium uel ratio Patri ut spiret; alio modo potest dicere rationem principii, non respectu agentis, set tantum respectu producti, sicut dicimus quod rex facit hoc uel illud per balium, et hoc modo potest dici quod Pater spirat Spiritum Sanctum per Filium, | eo quod Filius habet rationem principii respectu Spiritus Sancti, et hoc ipsum habet a Patre sicut balius a rege, nisi quod habet eadem numero cum Patre et eque perfectam, quod non est in baliuo respectu regis.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod aliquid potest conuenire principio et principiato eque immediate, quando ratio per quam illud conuenit eis est eadem numero in utroque, sicut est de ui spiratiua, que est eadem numero in Patre et Filio, per quam utrique conuenit spirare Spiritum Sanctum et eque immediate, set non eque primo sumendo `primum` pro principaliter, ut patet ex precedente

55 questione.

[7] Ad argumentum oppositum dicendum quod non semper recipitur  
conuersio cum aliquid dicitur agere per alium; dicimus enim quod  
faber agit per martellum et tamen non dicimus quod martellus agat  
per fabrum. Et similiter non oportet quod si Pater spirat per Filium,  
60 quod econuerso Filius dicatur spirare per Patrem, quamuis sane  
intelligendo posset dici eodem modo quo baliuus dicitur agere per  
regem; hic enim dicitur quod baliuus habet potestatem et  
auctoritatem agendi a rege, et similiter posset dici quod Filius spirat  
per Patrem non tanquam per medium, set quia uirtutem et  
65 auctoritatem spirandi habet a Patre.

[8] Ad aliud argumentum, cum dicitur quod ubi non est prius et  
posterius, ibi est eque primo et immediate, dicendum quod non est  
ibi eque primo, accipiendo `primum` pro principali, quia licet simul  
et unica uirtute Pater et Filius spirent, tamen illam uirtutem  
70 principalius habet Pater, quia a se habet, quam Filius, qui habet ab  
alio; est tamen ibi eque immediate inspiciendo uirtutem spiratiuam,  
licet respiciendo supposita spirantia sit ibi qualiscunque ratio medii,  
ut dictum est.

Sententia litere MAGISTRI distinctionis 13<sup>e</sup>

[1] *Post hec considerandum.* Superius MAGISTER determinavit de Spiritus Sancti processione, modo, medio et principio; hic determinat de processione in comparatione ad generationem. Que comparatio ut magis pateat, MAGISTER quatuor facit principaliter in prima parte: primo inquit utrum Spiritus Sanctus procedens posset dici natus, et soluit; secundo inquit quomodo Filius natus possit dici procedens, et soluit; tertio querit que sit differentia generationis et processionis; quarto querit utrum propter hanc differentiam possit dici Spiritus Sanctus genitus. Secunda ibi: *Cum igitur Spiritus Sanctus.* Tertia ibi: *Inter generationem Filii.* Quarta ibi: *Nunc considerandum est.* Et hec est sententia et divisio MAGISTRI in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et primo querit *quare Spiritus Sanctus non dicitur natus* aut non dicitur Filius cum procedat a Patre et sit de substantia Patris. Et respondet quod cum a duobus procedat, si diceretur natus uel Filius, esset amborum et ita unus se haberet ut Pater, alius ut Mater, quod absurdum est. Deinde querit *cur Filius dicitur procedere*, non solum nasci, Spiritus autem Sanctus procedere; respondet quod uterque exit a Patre, set Spiritus Sanctus dicitur procedens et non natus, sicut Filius, quia exit a *Patre quomodo datus, non quomodo natus*, idest per modum liberalitatis, non per modum nature. Postea subdit quod generatio Filii differt a processione

---

**12** Inter generationem] *scr. am Lombardo:* sunt item generationi  $\pi$

**3** Post...considerandum] Lomb., 121, 25 | Superius...principio] cf. Lomb., 114, 12 - 121, 21 **11** Cum...Sanctus] Lomb., 122, 14-15 **12** Inter...Filii] Lomb., 122, 29 | Nunc...est] Lomb., 124, 2-3 **14** Et...18 est] cf. Lomb., 121, 24 - 122, 12 **18** Deinde...23 nature] cf. Lomb., 122, 14-26 **23** Postea...30 est] cf. Lomb., 122, 28 - 123, 35



Spiritus Sancti, quia alius est modus procedendi a Patre utriusque;  
 25 Filius enim a solo Patre procedit, Spiritus Sanctus ab utroque. Probat  
 per hoc quod Christus insufflando dedit Spiritum Sanctum, tamen  
 propter auctoritatem originis solet Patri attribui. Et subdit quod  
 omnis generatio est processio et non conuertitur; addit etiam quod  
 creatura non sufficit ad significandum perfectam differentiam  
 30 generationis et processionis, quia utraque inestimabilis est. Vltimo  
 querit *utrum Spiritus Sanctus dici possit ingenuus*. Et probat per  
 AUGUSTINUM quod non, quia dicit AUGUSTINUS quod hoc nomen  
 `ingenitus` secundum *disputantium consuetudinem* Spiritui Sancto non  
 conuenit ne duo Patres in Trinitate uideantur esse. Per HIERONIMUM  
 35 uero probat quod possit dici ingenuus, et soluit MAGISTER quod  
 π47va `ingenitus` potest dupliciter | accipi: uno modo idem est quod ens  
 non ab alio, et sic non conuenit Spiritui Sancto; alio modo ingenuus  
 est id quod est ab alio, non tamen per generationem, et sic conuenit  
 Spiritui Sancto. Et hoc confirmat per HIERONIMUM, qui non natum  
 40 attribuit Patri et Spiritui Sancto. Et in hoc terminatur sententia in  
 speciali.

### Questio prima

#### Vtrum in diuinis sit aliqua processio

[1] Circa distinctionem istam queruntur tria: primum est utrum in  
 5 diuinis sit aliqua processio; secundum est utrum generatio Filii et

30 Vltimo...34 esse] cf. Lomb., 124, 2-18; Aug., *De Trin.*, XV, 26, 47 (528, 106 -  
 529, 115) 34 Per...40 Sancto] cf. Lomb., 124, 19 - 125, 25; Ps.-Hier. (Syagrius),  
*Regulae*, 8 (ed. Künstle, 152)\* 2 Vtrum...processio] cf. Thom., *Super Sent.*, I,  
 13, 1, 1 (301-302); *S.th.*, I, 27, 1

processio Spiritus Sancti sint emanationes distincte realiter; tertium est utrum Spiritus Sanctus possit dici ingenuus.

Ad primum sic proceditur. Et uidetur quod in diuinis non sit aliqua processio, quia uel esset localis uel causalis; non localis, quia non est ibi motus persone de loco ad locum, nec causalis, quia in diuinis non est causa et causatum; quare etc. 10

[2] Item si in diuinis aliqua esset processio, aut est eadem cum generatione tantum, et ita non conueniret Spiritui Sancto, quod non est uerum cum dicat ATHANASIUS in Simbolo quod *Spiritus Sanctus non est genitus, set procedens*; aut diuiditur contra generationem, et ita non conueniret Filio, quod similiter non est uerum, cum Filius dicat IOANNIS 8<sup>o</sup>: *Ego enim ex Deo processi et ueni*; aut esset in plus, et tunc, ut uidetur, non deberet appropriari Spiritui Sancto; quare etc. 15

[3] In contrarium est quod dicitur IOANNIS 15<sup>o</sup>: *Cum uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis, spiritum ueritatis, qui a Patre procedit*. 20

[4] Responsio. Duo sunt hic declaranda: primum est quomodo processio sit in diuinis; secundum est quare appropriatur Spiritui Sancto; utrumque enim in argumentis tangitur. Quantum ad primum sciendum est quod nomen `processionis` uidetur primo fuisse impositum ad significandum motum progressiuum animalium quo mouent se ipsa, et sic dicitur `processio` quasi propter uirtutem incessio; inde translatum est ad significandum omnem localem motum et mutationem que est ex quodam in quiddam; et postremo ad omnem emanationem secundum quod aliquid est ab alio ut a causa sua uel principio (dicimus enim quod effectus procedit a sua 25 30

---

25 impositum] *scr.*: impositum  $\pi$  | significandum] *scr.*: significadum  $\pi$

14 Spiritus...procedens] *Symb. Athanasian.*, 23 (42) 17 Ego...ueni] Ioh., 8, 42

19 Cum...procedit] Ioh., 15, 26

causa, et uniuersaliter quelibet res procedit a suo principio). Nullo autem dictorum modorum processio est in diuinis nisi tantum ultimo modo, et hoc exclusis imperfectionibus que sunt ex processioibus creaturarum ex causis suis, que ibi sunt ratione motus aut mutationis  
 35 aut diuersitatis essentie, ut in creatione, quibus exclusis de ratione `processionis` solum est quod procedens sit ab alio. Exclusis enim ab actione omni motu ex mutatione et innouatione remanent soli respectus a quo aliud et quod ab alio; hec autem reperiuntur in diuinis; ergo etc. Ex quo patet primo quod `processio` solum dicitur  
 40 in diuinis de emanatione passiuua, quia illi solum conuenit procedere cui conuenit ab alio esse; hoc autem non conuenit nisi producto; ergo processio non conuenit nisi producto. Secundo patet quod processio, quantum est de ui nominis communis, est emanationi Filii et Spiritus Sancti, quia esse ab alio est commune Filio et Spiritui  
 45 Sancto; ergo et processio. Et sic patet primum.

[5] Quantum ad secundum sciendum est quod licet processio, ut statim dictum est, quantum est ex ui nominis, communis sit Filio et Spiritui Sancto, tamen appropriatur emanationi Spiritus Sancti; emanatio enim Filii habet proprium nomen et uocatur generatio.  
 50 Ratio autem `appropriationis` est triplex: una est penuria nominum in hiis que pertinent ad Spiritum Sanctum; et ideo emanatio eius retinet commune nomen cum deficit proprium.

[6] Secunda est ex conuenientia nominis `processionis`; significat enim primo modo motum uoluntarium accipiendo `uoluntatem` pro appetitu sequente cognitionem; Spiritus autem Sanctus procedit per  
 55 modum uoluntatis; et ideo conuenienter appropriatur ei nomen `processionis`.

[7] Tertia quia Spiritus Sanctus procedit a pluribus quam Filius; procedit enim non solum a non procedente, ut Filius qui est a solo

Patre; set etiam a procedente et non procedente, | quia procedit a  
 Patre et Filio; propter quod quasi per excellentiam competit ei  
 processio. π47vb

[8] Ad primum argumentum dicendum quod non est in diuinis  
 processio localis et causalis proprie loquendo, quia causa et  
 causatum non sunt ibi; set est ibi processio que est principiati a suo  
 principio. 65

[9] Ad secundum dicendum quod processio communis est  
 emanationi Filii et Spiritus Sancti; set propter dictas causas  
 appropriatur emanationi Spiritus Sancti. 70

### Questio secunda

Vtrum generatio Filii et processio Spiritus Sancti sint emanationes  
 distincte

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod generatio Filii et  
 processio Spiritus Sancti non sunt emanationes realiter distincte,  
 quia in rebus perfectis non est nisi unus modus communicandi  
 naturam, sicut in homine et in animalibus perfectis, quamuis in  
 imperfectis, ut in muribus, aliud sit; set diuina natura est  
 perfectissima; ergo non est nisi unus modus communicandi eam;  
 non sunt ergo in diuinis plures processiones realiter distincte. 5  
10

[2] Item si inter processiones esset in diuinis realis distinctio, aut

---

6 emanationes] *scr.*: emationes π

2 Vtrum...distincte] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 13, 1, 2-3 (303-309); *S.th.*, I, 27,  
 3-4 et 28, 3 9 in muribus] cf. Auer., *Phys.*, VIII, 46 (387F); Alb., *De animal.*,  
 XXII, 123 (1415, 24-25); Thom., *Super Sent.*, I, 13, 1, 2, arg 2 (303)

esset ex parte essentie aut ex parte relationum cum non sint plura  
 in diuinis; non ex parte essentie, quia illa est una tantum, nec ex  
 15 parte relationum, quia secundum BOETIUM De Trinitate  
 omnia in diuinis sunt unum *ubi non obuiat oppositio relationis*; set inter  
 processionem non est oppositio relationum; ergo nec realis  
 diuersitas.

[5] In contrarium est quia secundum unam processionem est  
 20 tantum unum procedens; set in diuinis sunt due Persone  
 procedentes realiter distincte; ergo sunt due processionem realiter  
 distincte.

[4] Responsio. Cum processio in diuinis non sit motus uel mutatio  
 media inter Personam procedentem et illam a qua procedit, set  
 25 dicat solum respectu ut quod est ab alio, cui respondet oppositus  
 respectus ut a quo est aliud, qui respectus constituunt Personas et  
 distinguunt, patet quia generatio actiua est idem quod paternitas uel  
 relatio paternitatis et generatio passiuia est idem quod filiatio uel  
 relatio filiationis; spiratio autem, siue actiue siue passiue accepta, est  
 30 idem cum relationibus correspondentibus; nisi ergo uelimus gratis  
 contendere, non est aliud querere de diuersitate istarum  
 processionum secundum rem quam querere de diuersitate  
 relationum, licet aliam rationem intelligendi habeant hec et illa;  
 possumus ergo comparare generare ad generari et spirare ad spirari,  
 35 et sic manifesta est istorum realis diuersitas, cum includant  
 formalem oppositionem, ut de se patet, sicut manifesta est realis  
 differentia inter paternitatem et filiationem et inter relationem

---

34 spirare] *oni.*: sperare  $\pi$  | spirari] *oni.*: sperari  $\pi$

16 omnia...relationis] cf. Boet., *De sancta Trin.*, 6 (180, 339-340); Anselm., *De process. Spiritus s.*, 1 (181, 2-4)

spirationis actiue et relationem spirationis passiue, que directe sibi inuicem opponuntur. Vel possumus comparare generare ad spirare et generari ad spirari, et sic difficilius est assignare quomodo differunt cum non opponantur formaliter, sicut difficile est assignare quomodo differunt paternitas et communis spiratio, et similiter quomodo differunt filiatio et spiratio passiuua. Circa quod procedetur sic, quia primo proponetur quidam modus qui a multis reputatur uerus, et secundo arguetur contra illum modum et respondebitur ad rationes probantes illum, et tertio ponetur alius modus quem etiam multi ponunt.

[5] Quantum ad primum sciendum quod QUIDAM dicunt quod generare et spirare non differunt realiter, generari tamen et spirari differunt realiter. Quod probant ex duabus suppositionibus quales declarauerunt: prima est quod ea que sunt in diuinis in eodem supposito non differunt aliquo modo realiter; secunda est quod in diuinis non est differentia realis nisi per relationes oppositas. Prima probatur tripliciter, primo sic: ubicunque sunt plura realiter diuersa, quorum quodlibet est subsistens, ibi plura sunt supposita, quia suppositum non uidetur plus includere nisi aliquid subsistens ab aliis distinctum; set in diuinis ubicunque sunt plura realiter diuersa, ibi quodlibet eorum est subsistens, quia in diuinis nichil est inherens secundum rem (alioquin esset ibi compositio); ergo in diuinis |  
 ubicunque sunt plura realiter diuersa, ibi sunt plura supposita necessario; non possunt ergo differre realiter que sunt in eodem supposito.

[6] Secundo sic: quecunque predicantur de se inuicem, non solum in concreto, sicut in creaturis, set etiam abstracto, sunt idem realiter; set in diuinis quecunque sunt in eodem supposito predicantur de se inuicem, non solum in concreto, sicut in creaturis, set etiam in

abstracto; ergo sunt idem realiter.

[7] Tertio sic: sicut se habet essentia ad omnia que sunt in diuinis, quia est omnibus communis, ita se habet quodcunque aliud quod est pluribus commune ad ea quibus est commune; set essentia diuina non ponit in numerum realem cum aliquo quod sit in diuinis, quia cum omnibus stat in eodem supposito; ergo similiter alia que sunt pluribus suppositis communia, ut communis spiratio, que conuenit Patri et Filio, non ponit in numerum realem cum aliquo quod sit in Patre et Filio, set est unum realiter cum omni eo quod cum ipsa est in eodem supposito; similiter est de omnibus que sunt in eodem supposito.

[8] Secunda suppositio probatur dupliciter, primo sic: quecunque sunt impossibilia in eodem supposito habent inter se aliquam oppositionem, unde et forme que sunt impossibiles includunt aliquo modo naturam priuationis et habitus; set ut statim est ostensum, quecunque distinguntur realiter in diuinis sunt impossibilia in eodem supposito; ergo quecunque distinguntur in diuinis realiter habent inter se aliquam oppositionem; set non est ibi oppositio nisi relationum originis; ergo etc.

[9] Secundo sic: illa que conueniunt in omnibus in quibus non opponuntur non possunt differre nisi per oppositionem; set in diuinis supposita conueniunt in omnibus in quibus producte non opponuntur, quod patet per ANSELMUM, qui dicit quod Persona producens necessario communicat Persone producte omnia in

---

82 distinguntur] *omi.*: distinguunt  $\pi$

89 Persona...91 opponitur] cf. Anselm., *De process. Spir. s.*, 1 (184, 5-11); Heru., *Super Sent.*, I, 13, 2 (80aB)

quibus ei non opponitur; ergo nulla potest esse in diuinis realis differentia nisi per oppositionem.

[10] Hiis duabus suppositionibus sic probatis faciliter probant principale intentum, et primo quod generare et spirare non differunt realiter, quia que sunt in eodem supposito non possunt in diuinis differre realiter; set generare et spirare sunt in eadem supposito, scilicet in Patre; ergo etc. Per eandem rationem dicunt quod generari et spirare non differunt realiter, quia conueniunt Filio. 95

[11] Item que non habent oppositionem non distinguntur realiter; set spirare non habet oppositionem ad generare nec ad generari; ideo non distinguntur realiter ab eis. Minor de se patet et maior etiam per secundum suppositum; quare etc. 100

[12] Item si generare et spirare differunt realiter, cum constet quod generari et spirari realiter differunt, sequitur quod in diuinis esset quaternitas rerum; hoc autem, ut ISTI dicunt est erroneum et condemnatum in Concilio generali, ut habetur Extra, De summa Trinitate et fide catholica, capitulo Damnamus, ubi dicitur quod in Deo solummodo ternitas, non quaternitas est; quare etc. 105

[13] Secundo probant quod spirari differt realiter a generari, sic que includunt oppositionem relatiuam sunt realiter diuersa; set generari et spirari includunt oppositionem relatiuam; ergo etc. Maior patet ex precedentibus. Minor probatur, quia productum et producens in quantum huiusmodi opponuntur relatiue; set spiratus est per se a genito, ut demonstratum fuit in precedente distinctione; ergo opponuntur relatiue et per consequens generari et spirari relatiue opponuntur, cum idem sit iudicium de emanationibus et terminis 115

---

108 in...est] cf. *Sextus Decretalium Bonifatii*, \* \*



earum, ut supra dictum fuit. Si tamen spiratus opponitur genito, quia  
 est ab ipso, necesse est quod opponatur generanti, quia est ab ipso  
 120 saltem mediante genito, et ita spiratus differt realiter a genito et  
 spirante et spirari a generari et generare, quia aliquo modo  
 opponuntur. Et hec est opinio, et hoc quantum ad primum.

[14] Quantum ad secundum sciendum quod ALIIS et magnis uisum  
 est et adhuc uidetur quod predicta opinio deficit in positione et in  
 125 rationibus positionis: in positione quidem quantum ad hoc quod  
 π48rb ponit quod generare | et generari nullo modo differunt realiter a  
 spirare, nec per consequens paternitas et filiatio differunt realiter a  
 communi spiratione, quia idem est iudicium de emanationibus et  
 relationibus, ut a principio dictum fuit. Quod patet primo sic: illa que  
 130 non possunt conuenire eidem respectu eiusdem non sunt unum et  
 idem realiter, saltem relata, quia relationis est ad aliud esse; set spirare  
 uel generare uel generari non possunt conuenire eidem respectu  
 eiusdem (generare enim competit Patri respectu Filii tantum, spirare  
 autem non competit Patri respectu Filii, set solum respectu Spiritus  
 135 Sancti; rursus generari et spirare competunt Filio, set generari tantum  
 respectu Patris, spirare tantum respectu Spiritus Sancti); ergo spirare  
 non est idem realiter, saltem re relata cum generare et generari.

[15] Secundo sic: sicut se habet generare ad generari, ita spirare ad  
 spirari; ergo permutata proportione, sicut se habet generare ad  
 140 spirare, ita se habet generari ad spirari; set generare et spirare non  
 differunt realiter, ut ISTI dicunt; ergo nec generari et spirare, cuius  
 oppositum dicunt.

[16] Tertio sic, et est ad idem: duabus relationibus disparatis specie  
 uel quasi specie differentibus correspondent due relationes disparate  
 145 specie uel quasi specie realiter differentes; set generari et spirari sunt  
 due relationes specie uel quasi specie differentes realiter; ergo

relationes que eis correspondent, scilicet generare et spirare, specie uel quasi specie differunt et ita realiter differunt cum sint relationes rei non rationis. Maior patet, quia eadem relatio secundum speciem non opponitur pluribus relationibus secundum speciem; minor etiam de se patet et ex dicto aduersariorum; quare etc. 150

[17] Quarto sic: quecumque uni et eidem sunt eadem inter se sunt eadem, saltem illo modo quo sunt eadem in tertia, et hoc est necessarium cum oppositum implicet contradictionem. Cum ergo secundum istos generare et generari sint idem cum spirare non solum re absoluta, set etiam re relata, sequitur quod generare et generari sint idem inter se non solum re absoluta, set etiam relata, et ita essent penitus idem, quod est absurdum cum opponantur inuicem; ergo illud est absurdum ex quo sequitur, scilicet quod spirare sit idem realiter cum generare, ut IPSI ponunt. 155

[18] Quinto sic: ab una actione non possunt esse immediate due passionis; set generari et spirari sunt due passionis uel emanationes dicte `passiue`; ergo non possunt esse ab unica actione immediate; set generari immediate est a generare et spirari est immediate a spirare; ergo generare et spirare non sunt unica actio, realiter differentes, sicut et passionis eis correspondentes. 160

[19] Sexto sic: impossibile est esse eandem relationem producentis et producti, etiamsi idem sit producens et productum respectu diuersorum (uerbi gratis dato quod Spiritus Sanctus esset filius Filii, sicut contingit in humanis eundem hominem esse patrem et filium respectu diuersorum, tamen alia esset relatio qua diceretur filius et alia qua diceretur pater); set spirare et generari sunt relationes producentis et producti in eodem, scilicet respectu diuersorum; ergo impossibile est quod sint una relatio, set necessario sunt due. Idem 165 170

175 autem est iudicium de relationibus et emanationibus, ut dictum est  
supra.

[20] Septimo sic: generare potest esse in Patre sine spirare, quia dato  
etiam quod Pater et Filius non spirarent, adhuc Pater generaret et  
Filius generaretur; ergo generare et spirare non sunt omnino idem.

180 Item Pater producit Filium per generare; si ergo generare et spirare  
sint omnino idem, Pater produceret Filium per spirare, et sic Filius  
esset spiritus, quod est falsum.

[21] Octavo sic: due res absolute et inter se realiter distincte non  
possunt esse idem realiter cum aliqua re absoluta; ergo due relationes  
185 realiter inter se distincte, ut paternitas et filiatio, non possunt esse  
idem realiter cum aliqua relatione, puta cum communi spiratione.  
Patet ergo sic quod ista opinio deficit in positione, deficit etiam in  
rationibus positionis, et primo quidem in suppositionibus, deinde in  
rationibus deductis ex eis. Prima quidem suppositio neganda est,  
190 cum directe assumat id quod probare intendit; assumit enim quod illa  
 $\pi$ 48va que sunt in eodem supposito | non possunt differre realiter, hic  
autem queritur utrum generare et spirare in Patre differant realiter.

[22] Ad probationes huius suppositionis respondendum est. Ad  
primam, cum dicitur quod ubicunque sunt plura realiter distincta  
195 quorum quodlibet est per se subsistens, ibi sunt plura supposita,  
dicendum quod huic maiori est addendum quod quodlibet illorum sit  
incommunicabile; nam in diffinitione `persone` ponitur quod est  
incommunicabilis; spiratio autem activa est communicabilis pluribus,  
videlicet Patri et Filio; propter quod non est distinctum suppositum  
200 seu distincta Persona a Patre et Filio, in quibus est.

[23] Secundo, quia si intelligitur in minore propositione quod  
ubicunque sunt plura realiter distincta quodlibet eorum est per se

subsistens, falsum quidem est, quia non est nisi unum subsistens in diuinis et est absolutum, ut probat AUGUSTINUS VII De Trinitate. Quamuis enim suppositum diuinum sit illud quod subsistit, tamen per aliud formaliter est suppositum diuinum et per aliud subsistit; est enim formaliter suppositum per proprietatem relatiuam per quam distinguitur ab aliis suppositis, set subsistit per solam essentiam uel substantiam, que est una numero et indistincta in omnibus; propter quod esse subsistens nichil facit ad pluralitatem seu distinctionem suppositorum diuinorum, set ad oppositionem incommunicabilitatis.

[24] Tertio, quia relationes, inquantum distingunt Personas formaliter, non subsistunt nec Persone per eas (alioquin essent ibi plura subsistentia); set Persone sunt que subsistunt, ratio autem per quam subsistunt est sola essentia.

[25] Ad secundum dicendum quod minor assumit quod queritur, quando dicit quod hec est uera "paternitas est uera, paternitas est communis spiratio", uel quod filiatio sit communis spiratio; hoc etiam negant qui tenent oppositum, et prima facie apparet cuilibet esse negandum.

[26] Ad tertium dicendum quod non est simile de essentia respectu relationum et de communi spiratione respectu paternitatis et filiationis, quia essentia est quid absolutum, communis autem spiratio est relatio; magis tamen implicat oppositum quod una relatio sit due relationes, quam quod unum absolutum sit plura relata, quanquam utrumque sit ad intelligendum nimis difficile; adhuc essentia diuina secundum rationem suam et absolutorum suorum est

---

219 sit] *coni.*: fit  $\pi$  221 esse] *coni.*: esset  $\pi$

---

203 non...absolutum] cf. Aug., *De Trin.*, VII, 5, 10 (261, 16-26)

infinita, propter quod potest plures relationes cum sua unitate  
 230 includere; set nulla relatio secundum propriam rationem relationis est  
 finita uel infinita, ut alias efficaciter probatum est; et ideo una relatio  
 non potest sic includere intrinsece et identice plures relationes sicut  
 essentia; de differentia etiam essentie diuine et relationum dicetur  
 infra distinctione 33<sup>a</sup>, ubi ostendetur quod non differunt solum  
 235 secundum conceptum nostrum nec secundum differentiam  
 nominum, set ex natura rei, que differentia utrum debeat dici realis  
 uel non, patebit postea.

[27] Secunda etiam suppositio similiter calumniam patitur; licet enim  
 in diuinis non sit distinctio secundum supposita nisi per relationes  
 240 oppositas, ut satis deductum fuit prius distinctione 11<sup>a</sup>, tamen in  
 eodem supposito est aliquorum realis distinctio per disparata. Et  
 quod arguitur contra hoc, dicendum est ad primum per  
 interemptionem minoris; non enim sunt impossibilia in eodem  
 supposito quecunque realiter distinguntur; statim supra declaratum  
 245 est.

[28] Ad secundum respondendum est concedendo maiorem et  
 interimendo minorem. Et ad autoritatem ANSELMI, cum dicit quod  
 Persona producens communicat Persone producte omne illud in quo  
 ei non opponitur, dicendum quod hoc est intelligendum de aliis a  
 250 proprietate personali; illa enim semper est incommunicabilis, sicut  
 `persona` dicit quid incommunicabile; omnia autem alia sunt  
 communicabilia, que tamen realiter differunt in eodem supposito ab  
 eo quod est incommunicabile. Ex hiis de facili soluuntur rationes

---

244 distinguntur] *an supplendum* ut?

---

231 alias] cf. infra, III, 1, 3, [12] (212va) 234 non...237 non] cf. infra, I, 33, 1  
 (88vb-91ra) 239 in...oppositas] cf. supra, I, 11, 1, [9]-[10] (43ra); 11, 2, [4]  
 (43rb)

probantes quod spirare sit idem realiter cum generare et generari;  
 omnes enim assumunt unam de predictis falsis suppositionibus, 255  
 scilicet quod ea que sunt in eodem supposito non possunt differre  
 realiter, aut quod in diuinis nulla sit realis distinctio nisi per  
 oppositiones relatiuas, ut patet intuenti rationes adductas.

[29] Ad tertiam rationem sumptam ex dictis Concilii ad quam π48vb  
 confugiunt aliis rationibus totaliter eis deficientibus, respondendum 260  
 est et dicendum quod illud Concilium non condemnat expresse nisi  
 quaternitatem Personarum, concomitatiue tamen condemnat  
 quaternitatem rerum inter Personas et essentiam; set quaternitatem  
 realem relationum realium inter se non condemnat, nec expresse nec  
 concomitatiue. Quod non condemnetur expresse nisi quaternitas 265  
 Personarum, patet sic: intelligentia dictorum ex causis est assumenda  
 et dicenda secundum HILARIUM et recitatur Extra, De regulis  
 iuris. Causa autem edendi illam constitutionem fuit error  
 IOACHIM, qui reprobatur ibi quantum ad duo, quorum unum ipse  
 ponebat, uidelicet quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus non sunt 270  
 unum in natura nisi collectiue, sicut multi homines sunt unus  
 populus et multi fideles una ecclesia; quod uidebatur probare per  
 multas autoritates Scripture, ut clare patet intuenti textum illius  
 Decretalis; et hic error ibi condemnatur. Aliud autem imponebat  
 MAGISTER Sententiarum, qui dicit in suis Sententiis quod *quedam* 275  
*summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, et illa non est generans  
 neque genita neque procedens; unde ex hoc assumebat IOACHIM  
 quod MAGISTER Sententiarum non tam Trinitatem quam  
 quaternitatem astruebat in Deo, uidelicet tres Personas et illam  
 communem essentiam quasi quartam. Hec sunt uerba 280

275 quedam...Sanctus] cf. Lomb., *Sent.*, I, 2 (56, 15-16); I, 25 (194, 12-13);  
 Aug., *De doct. dir.*, I, 5, 5 (9, 1-3)

Decretalis, de quibus apparet quod ILLE imponebat MAGISTRO  
 Sententiarum quod ipse ponebat quaternitatem Personarum. Nam  
 secundum intellectum suum uidebatur sibi quod quantum differt  
 Pater a Filio et uterque a Spiritu Sancto, quia unus est generans et  
 285 non genitus, alius non generans, set genitus, tertius nec generans nec  
 genitus, set procedens tantum; differebat essentia communis que non  
 est generans, ut Pater, nec genita, ut Filius, nec procedens, ut Spiritus  
 Sanctus, a quolibet illorum et ab omnibus simul; unde textus  
 Decretalis statim allegatus dicit quod IPSE *asserebat quod*  
 290 *MAGISTER PETRUS non tam Trinitatem quam quaternitatem astruebat*  
*inDeo* et exponit qualem uidelicet tres Personas et essentiam quasi  
 quartam: Ad quod refertur illud "quartam"? Vtique ad Personam de  
 qua immediate premiserat tres Personas, set textus non addidit et  
 "essentiam quasi quartam personam", quia ex precedenti clare  
 295 intelligebatur et quia clausula dictaminis obuiabat. De hac autem  
 quaternitate Personarum excusat Decretalis MAGISTRUM,  
 PETRO sic dicens: *Nos autem sacro approbante Concilio credimus et*  
*confitemur una cum Petro quod una quedam res est incomprehensibilis quidem et*  
*ineffabilis Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres simul Personae ac singillatim*  
 300 *quelibet earundem; et ideo in Deo solummodo ternitas est et non quaternitas.*  
 Hec sunt uerba Decretalis. Ecce qualem Trinitatem affirmat,  
 scilicet ternitatem Personarum quam exprimit et consimilem  
 quaternitatem negat; nec expresse potest aliud haberi ex dicta  
 Decretali considerando tam causam Concilii in hoc casu quam  
 305 uerba Decretalis. Satis enim rationabiliter diceretur quod <per>

---

297 Petro] *an scrib. Petrum?* 305 per] *suppl.: om. π*

---

289 asserebat...291 inDeo] *Concil. Later. IV, Constit. 2 (231, 10 ?)*

297 Nos...300 quaternitas] *Concil. Later. IV, Constit. 2 (232, 4\* ?)*

uerba *Decretalis* quibus diceretur quod in Deo solummodo est ternitas et non quaternitas referatur ternitas ad unum, scilicet ad ternitatem Personarum, prout ibi exprimitur, et quaternitas referatur ad aliquid amplius, quantum est ex ui uerborum. Et sic patet quod ibi non condemnatur expresse nisi quaternitas Personarum, 310 uerumtamen condemnatur expresse ibidem concomitatiue quaternitas rerum inter Personas et essentiam, quia cum essentia includatur intrinsece in Persona et uerificetur de ea et econuerso dicendo quod Pater est essentia et essentia est Pater et sic de aliis Personis, essentia non potest ponere in numerum rerum cum 315 quacunque Persona, quia est de intraneitate reali cuiuslibet Persone; propter quod sicut non est inter Personas et essentiam quaternitas Personarum, sic nec quaternitas rerum. Set quia una relatio non includitur in intraneitate alterius nec de pluralitate relationum diuinarum se intromisit Concilium, quinimo omnes DOCTORES 320 fatentur quatuor relationes reales esse in diuinis, ideo nec directe nec expresse nec concomitatiue condemnatur ibi quaternitas realium relationum et dicere oppositum est adinuentio irrationalis, cum solennes DOCTORES, quos non latuit predicta *Decretalis*, posuerunt quod paternitas et communis spiratio differunt in Patre 325 realiter.

[30] Item aduertant ILLI qui friuola et leui ratione uolunt probare quod illa *Decretalis*, *Damnamus*, excludat quaternitatem realium relationum, quam efficaci ratione conuincimus, eos eam in hoc male intelligere, quia constat quod diuina spiratio quedam relatio realis est 330 et unica, sicut Concilium generale Lugdunense determinat *Extra*, *De summa Trinitate et fide catholica* capitulo fidei, libro VI. Ex quo sic arguitur: sicut se habet absolutum ad absoluta, ita relatio ad relationes; set essentia diuina una existens,



335 quantumcunque sit infinita, non potest esse eadem realiter cum  
 pluribus absolutis realiter inter se differentibus, imo hoc ponere esset  
 contradictio; ergo a fortiori ratione spiratio actiua existens unica  
 relatio, ut iam patet ex determinatione Concilii, que etiam ut relatio  
 340 est non est infinita simpliciter (alioquin essent plura infinita  
 simpliciter et plures infinitates non possunt esse eodem realiter cum  
 paternitate et filiatione que sunt plures relationes inter se realiter  
 differentes); et sic ISTI male exponentes Concilium primum  
 impingunt in secundum. Vnde credo quod de differentia relationum  
 disparatarum nichil est determinatum per quodcunque Concilium,  
 345 set est materia opinabilis et pro et contra, et quod cum  
 determinatione ultimi Concilii Lugdunensis magis concordat opinio  
 ponens eas differre realiter quam opposita; uerumtamen si etiam  
 Romana ecclesia, cuius est Concilia condere et interpretari,  
 determinaret <in> certam partem in hac materia uel in quacunque  
 350 alia tangente fidem uel bonos mores, illam partem absque ulla  
 hesitatione uellem tenere. Et si quid docui uel scripsi uel in posterum  
 docuero uel scripsero cuius oppositum predicta sancta Romana  
 ecclesia diffiniuerit uel diffiniet esse sentiendum, illud reuoco et uolo  
 pro reuocato haberi, interim cum opinionibus DOCTORUM disputans.  
 355 [31] Quod uero postea probant, quod generari et spirari differunt  
 realiter, uerum quidem est, set non bene probatur; ostensum enim  
 fuit satis diffuse in precedente distinctione quod Spiritus non est per  
 se directe a genito uel a generante, ut ISTI dicunt, set indirecte et  
 concomitatiue; et illud facit quod differant secundum suppositum,  
 360 sine qua differentia adhuc possent differre realiter, si essent in eodem

---

349 in<sup>1</sup>] *suppl.*: om  $\pi$  | partem] *coni.*: personam  $\pi$

---

358 indirecte...concomitatiue] cf. supra, I, 12, 1, [8] (45va)

supposito sicut generare et spirare. Et hoc tantum dictum sit de secundo.

[32] Nunc restat tertium, scilicet ut declaretur ueritas questionis. Est ergo intelligendum quod generare et spirare realiter differunt, similiter generari et spirari. Ratio autem huius differentie non est sumenda ex parte suppositorum, tum quia in diuersis suppositis inuenitur aliquid unum et idem numero, ut essentia diuina et communis spiratio in Patre et Filio, et rursus in eodem supposito sunt plura que realiter differunt, tum quia supposita non possunt esse prima distinguentia. Cuius ratio est <quia> prima distinguentia debent differre a se ipsis et secundum se tota, quia si in aliquo conuenirent et in aliquo differrent, non essent prime differentie, set constitute ex primis differentiis cum aliquo alio; set supposita non differunt secundum se tota, set conueniunt in aliquo; ergo non sunt prima distinguentia nec ex diffinitione eorum sumenda est causa et ratio distinctionis aliorum, licet aliquale argumentum distinctionis quandoque posset sumi ex hiis tanquam a posteriori.

[33] Item nec ratio distinctionis processionum uel relationum, quia idem est iudicium in re, ut prius dictum est, totaliter sumenda est natura oppositionis, quia licet omnia opposita sint distincta, tamen non omnia distincta sunt opposita, neque in formis absolutis neque in relationibus, ut patet in creaturis; in plus enim est distingui quam opponi. Cum ergo relationes secundum proprias rationes maneant in diuinis, poterit inueniri in eis aliqua distinctio que non erit ratione cuiuscunque oppositionis, sicut est inter paternitatem et communem spirationem uel inter generare et spirare.

[34] Et si queratur ratio distinctionis istorum, dicendum quod se ipsis

---

370 quia] *suppl.: om. π*

distinguntur et non per aliud (alioquin esset abire in infinitum); set  
huiusmodi relationes sunt quedam prima simplicia; ergo seipsis  
390 distinguntur et non per aliquid aliud; uerumtamen in hiis est quedam  
uarietas, quia omnes relationes seipsis differunt adinuicem realiter,  
set quedam specialiter differunt secundum supposita et ille sunt  
 $\pi$ 49rb tantum | inter quas est oppositio directe, ut est inter generare et  
generari et similiter inter spirare et spirari, uel inter quas est  
395 oppositio indirecte et concomitatiue, sicut inter generare et generari  
ex una parte et spirari ex alia, ut declaratum fuit in precedente  
distinctione, ita quod oppositio non est eis ratio distinctionis realis  
simpliciter, set tantum illius que est secundum suppositum specialiter  
propter impossibilitatem oppositorum in eodem supposito. Sic  
400 ergo patet quomodo differunt processionis et relationes diuine.  
[35] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de  
communicatione nature in Deo et in creaturis, quia sicut ex  
illimitatione nature diuine est quod ipsa numero una existens possit  
esse in pluribus suppositis, sic ex eodem conuenit ei quod  
405 communicetur emanationibus diuersis; hec autem illimitatio non  
conuenit nature create, quantumcunque sit perfecta.  
[36] Ad secundum dicendum quod distinctio processionum est ex  
parte relationum uel potius ipsarum relationum cum sint idem  
realiter processionis et relationes. Et cum dicitur quod in diuinis  
410 omnia sunt idem *ubi non obuiat oppositio relationis*, dicendum quod  
BOETIUS loquitur de sola identitate quo ad suppositum; inter autem  
processiones est oppositio indirecte et concomitatiue; et ideo

---

388 distinguntur] *coni.*: distinguunt  $\pi$

---

395 oppositio...alia] cf. supra, I, 12, 1, [8] (45va) 410 omnia...relationis] cf. Boet., *De sancta Trin.*, 6 (180, 339-340); Anselm., *De process. Spiritus s.*, 1 (181, 2-4)

differunt secundum suppositum; set inter productiones actiuas, ut sunt generare et spirare, non est oppositio; propter quod licet differant realiter non tamen secundum suppositum.

415

### Questio tertia

#### Vtrum Spiritus Sanctus possit dici ingenitus

[1] Tertio queritur utrum Spiritus Sanctus possit dici ingenitus. Et uidetur quod sic, quia plus distat a ratione generationis Pater quam Spiritus Sanctus, quia Spiritus Sanctus nec generat nec generatur, Pater autem, etsi non generatur, tamen generat; set `ingenitum` negat uel priuat generationem; ergo uerius potest dici Spiritus Sanctus ingenitus quam Pater.

5

[2] Item in litera, et est HIERONIMI, dicitur quod *omne quod est aut est ingenitum aut genitum aut factum*; set Spiritus Sanctus nec est genitus nec factus; igitur est ingenitus. Item ad negatiuam de predicato finito sequitur affirmatiua de predicato infinito cum constantia subiecti; sequitur ergo "Spiritus Sanctus non est genitus; ergo est ingenitus" uel "non genitus", quod est idem.

10

15

[3] In contrarium est quod dicitur in litera, quod *solus Pater est ingenitus*. Et AUGUSTINUS XV De Trinitate capitulo 26° dicit quod *cum Spiritum Sanctum genitum non dicamus, dicere tamen ingenitum non*

---

8 generationem] *scr.*: generatione  $\pi$

2 Vtrum...ingenitus] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 13, 1, 4 (309-310); *S.th.*, I, 33, 4  
 10 omne...factum] Ps.-Hier (Syagrius), *Regulae*, 1 (142)\*; cf. Lomb., 125, 9  
 16 solus...ingenitus] Lomb., 124, 9 18 cum...20 suspicetur] Aug., *De Trin.*, XV, 26, 47 (528, 106-109); cf. Lomb., 124, 14-17

audemus ne in hoc uocabulo duos patres in Trinitate uel duos qui non sunt de  
 20 alio quispiam suspiciatur.

[4] Responsio. Duo uidenda sunt: primum est qualiter `ingenitum`  
 sumatur in diuinis, utrum negatiue an priuatiue; secundum erit cui  
 competat esse ingenitum et cui non. Quantum ad primum sciendum  
 quod `ingenitum` non potest sumi pure negatiue, quia illa que sunt  
 25 pure negatiua possunt uerificari tam de ente quam de non ente, ut  
 `non-lapis` uerificatur de homine et chimera; set `ingenitum` non  
 potest uerificari de non ente (hec enim est falsa "chimera est  
 ingenita", sicut ista "chimera est iniusta"); ergo `ingenitum` non  
 potest sumi pure negatiue; restat ergo quod sumatur priuatiue. Set  
 30 tunc occurrunt dubia, quia *priuatio est remotio alicuius apti nati a subiecto*;  
 set in diuinis nichil est aptum natum esse quod ibi non sit nec  
 amoueri potest, quia quicquid ibi esse potest necessario est; ergo  
 nichil potest dici in diuinis priuatiue. Propter hoc notandum est quod  
 `priuatio` ad presens tripliciter dicitur, sicut apparet ex V  
 35 Methaphisice capitulo de priuatione. Dicitur enim uno modo  
 aliquid priuatum propriissime quando *non habet quod aptum natum est*  
*habere* secundum propriam speciem, sicut *homo carens uisu dicitur cecus*  
 propriissime quando non habet quod aptum natum est habere.

[5] Secundo modo dicitur aliquid priuatum quando non habet illud  
 40 quod natum est habere, non secundum suam speciem, set secundum  
 suum genus, utpote quia illud inuenitur in aliquo sui generis, ut *talpa*  
 dicitur ceca, quia non habet uisum, qui natus est haberi ab aliquo sub  
 genere animalis, licet non a specie talpe.

---

30 priuatio...subiecto] cf. *Aud. Ar.*, 1, 94 (122, 45); *Arist., Metaph.*, IV, 2,  
 1004a15-16 35 Dicitur...46 oculis] cf. *Arist., Metaph.*, V, 22, 1022b22-31;  
 Thom., *In Metaph.*, V, 20, 1070-1071 (278a-b)

[6] Tertio modo dicitur aliquid priuatum, quia non habet aliquid quod natum est haberi, licet non ab eo uel secundum speciem uel secundum genus, *sicut planta dicitur priuari oculis*. Primo ergo modo dicitur aliquid proprie priuatum. Et hoc modo non reperitur priuatio in diuinis, sicut probat argumentum ad hoc factum. Secundo autem modo reperitur; `ingenitum` enim priuat generationem que nata est alicui conuenire de genere suppositorum, scilicet Filio. Et sic patet primum. 45 50

[7] Quantum ad secundum sciendum quod priuationes cognoscuntur per habitus; `ingenitum` autem dicit priuationem `geniti` modo quo dictum est statim. Et ideo ex consideratione `geniti` iudicandum est de `ingenito`. `Genitum` autem dicit illud quod habet esse ab alio per generationem. Quod ergo aliquid dicatur ingenitum, potest habere duas causas ueritatis, aut quia omnino non est ab alio, aut quia est ab alio, set non per uiam generationis. Primo modo esse ingenitum conuenit soli Patri, quia in genere Personarum diuinarum solus Pater est a nullo uel non ab alio; secundo autem modo, prout ingenitum dicitur aliquid quod est ab alio, non tamen per generationem, set per spirationem, Spiritus Sanctus potest dici ingenitus, quia licet sit a Patre et Filio, non tamen per generationem, set per spirationem. 55 60

[8] Ad argumentum primum dicendum quod distantia a generatione passiuia facit quod aliquid dicatur ingenitum, et non distantia a generatione actiuia; Pater autem plus distat a generatione passiuia quam Spiritus Sanctus, quia distat secundum genus eo quod omnino non est ab alio secundum aliquam emanationem, Spiritus autem Sanctus distat solum secundum speciem, quia est ab alio, set non per generationem; et ideo in aliquo sensu uterque potest dici ingenitus, set magis Pater quam Spiritus Sanctus. 65 70

[9] Ad secundum dicendum quod HIERONIMUS accipit `ingenitum`  
pro omni eo quod est non per generationem, siue sit ab alio, ut  
75 Spiritus Sanctus, siue non, ut Pater; et sic `ingenitum` dicitur de  
utroque, scilicet de Patre et Spiritu Sancto.

[10] Ad tertium dicendum quod in illo sensu quo `ingenitum` dicitur  
illud quod est ab alio et non per generationem, Spiritus Sanctus  
potest dici ingenuus, in sensu autem in quo `ingenitum` negat uel  
80 priuat omnino esse ab alio, `ingenitum` conuenit soli Patri; et sic  
accipit AUGUSTINUS `ingenitum` in autoritate allegata in contrarium.

1.14.0 Distinctio 14<sup>a</sup>  
Sententia distinctionis 14<sup>e</sup>

[1] *Preterea diligenter*. Superius determinavit MAGISTER de eterna  
processione Spiritus Sancti; hic uero determinat de temporali eius  
processione. Et primo determinat de ea; secundo determinat nomen  
quod proprium est Spiritus Sancti. Secunda incipit distinctione 18<sup>a</sup>  
ibi: *Preterea diligenter*. Prima diuiditur in duas: primo determinat de  
processione eius in generali; secundo prosequitur modos in speciali  
processionis sue. Secunda incipit in principio 16<sup>e</sup> distinctionis ibi:  
*Nunc de Spiritu Sancto*. Prima diuiditur in duas: primo ostendit quod  
Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio temporaliter; secunda  
inquirat utrum detur a se ipso. Secunda incipit in 15<sup>a</sup> distinctione ibi:  
*Hic considerandum*. Prima pars est presentis lectionis et diuiditur in  
tres: primo enim determinat intentum; secundo excludit errorem;  
tertio remouet quandam obiectionem. Secunda ibi: *Sunt autem alii*.  
Tertia ibi: *Hic queritur utrum*. Et hec est diuisio et sententia in generali.  
[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et proponit primo quod  
*gemina est processio Spiritus Sancti*: una qua procedit eternaliter a Patre et  
Filio, alia qua procedit temporaliter ad sanctificandum creaturam; unde  
subdit quod Spiritus Sanctus non a Patre procedit in Filium et a Filio in  
creaturam, set ab utroque procedit ad sanctificationem creature. Et

---

16 alii] aliqui *Lomb.* 20 sanctificandum] sanctificandam *Lomb.* 22 creaturam]  
*scr.*: creatura π

---

4 *Preterea diligenter*] *Lomb.*, 126, 3 | Superius...Sancti] cf. *Lomb.*, 114, 12 -  
125, 25 8 *Preterea diligenter*] *Lomb.*, 153, 8 11 *Nunc...Sancto*] *Lomb.*, 138,  
4 14 *Hic considerandum*] *Lomb.*, 130, 25 16 *Sunt...alii*] *Lomb.*, 127, 13  
17 *Hic...utrum*] *Lomb.*, 129, 10 18 *Et...23 Augustini*] cf. *Lomb.*, 126, 3-13;  
*Aug., De Trin.*, XV, 27, 48 (530, 28-32)



hoc confirmat autoritate AUGUSTINI. Hec autem processio aliquando nominatur `processio`, aliquando `datio`, aliquando `missio`. Et hoc  
 25 ostendit autoritate BEDE et etiam AUGUSTINI. Postea excludit errorem dicentium quod in Spiritus Sancti missione ipse Spiritus Sanctus non datur, *set tantum eius dona. Et hoc dicunt sensisse BEDAM, qui dicit Spiritum Sanctum procedere, cum ipsius gratia datur. Set quod Spiritus*  
 π49vb Sanctus, *qui est una in Trinitate Persona, detur, patet* |; Spiritus enim  
 30 Sanctus indivisus simul plures mentes discipulorum infudit, quod non potuisset si esset creatura. Idem etiam probatur autoritate AUGUSTINI ex parte Dei dantis *qui dat donum equale sibi*. Et addit quod Spiritus Sanctus *non est minor Patre et Filio*, sicut a QUIBUSDAM dicitur. Vltimo querit *utrum uiri sancti dent Spiritum Sanctum*, et dicit quod non,  
 35 quia si Spiritus Sanctus a creatura daretur, ab illa procederet; unde in primitiua ecclesia non legitur sanctos dedisse Spiritum Sanctum, *set ad eorum orationem et manuum impositionem dabatur Sanctus Spiritus*. Et subdit quod Christus secundum quod homo non dedit Spiritum Sanctum. Et excludit quandam obiectionem; quod enim APOSTOLUS  
 40 dicit Ad Galatas se dedisse Spiritum Sanctum, intelligendum est quod per eius predicationem dabatur Spiritus Sanctus. Et hoc confirmat autoritate AUGUSTINI. Et hec est sententia lectionis in speciali.

---

28 qui] quibus *Lomb.* | cum] *scr. cum Lombardo*: tamen π

23 Hec...25 Augustini] cf. *Lomb.*, 126, 14 - 127, 10; *Beda, Hom.*, II, 16 (290, 18 - 291, 20); *Aug., De Trin.*, XV, 26, 46 (525, 19-26) 25 Postea...28 datur] cf. *Lomb.*, 127, 12-18; *Beda, Hom.*, II, 16 (290, 18 - 291, 20) 28 Set...33 dicitur] cf. *Lomb.*, 127, 19 - 129, 7; *Aug., De Trin.*, IV, 21, 32 (205, 74-76); *Serm.*, 128 (PL 38, 715\*) 34 Vltimo...39 Sanctum] cf. *Lomb.*, 129, 10 - 130, 7 39 Et...42 Augustini] cf. *Lomb.*, 130, 8-22; *Paul., Gal.*, 3, 5; *Aug., Expos. Epist. ad Gal.*, 20, 2 (77, 26 - 78, 5)

Questio prima

Vtrum sit aliqua processio temporalis Spiritus Sancti

- [1] Circa distinctionem istam queruntur quatuor: primum est utrum in diuinis sit aliqua processio temporalis; secundum est utrum temporalis processio ponat in numerum cum eterna; tertium est utrum per processionem temporalem detur ipsemet Spiritus Sanctus uel solum eius dona; quartum est utrum Spiritus Sanctus detur a uiris sanctis. 5
- Primo ergo queritur utrum sit aliqua temporalis processio Spiritus Sancti. Et uidetur quod non, quia omne quod procedit temporaliter incipit esse ex tempore, si per processionem accipiat esse; set Spiritus Sanctus non incipit esse ex tempore et tamen per processionem suam ex Patre et Filio accipit esse; ergo non procedit temporaliter. 10
- [2] Item sicut Spiritui Sancto competit procedere, ita Filio competit generari; set Filius non dicitur generatus temporaliter nisi ratione nature assumpte; ergo cum Spiritus Sanctus nullam unquam naturam assumpsit, uidetur quod nunquam processisset temporaliter. 15
- [3] In contrarium est quod dicitur in litera et arguitur per rationem, quia contingit aliquem habere Spiritum Sanctum ex tempore; set non habetur nisi procederet ex Patre et Filio; oportet ergo ponere aliquam temporalem processionem Spiritus Sancti. 20
- [4] Responsio. Primo uidendum est quid uocamus `processionem temporalem`, et ex hoc patebit ueritas questionis. Sciendum ergo quod `processio temporalis` appellatur processio Persone a Persona ad sanctificandum creaturam per aliquid in ipsa creatum. Vnde 25

<sup>2</sup> Vtrum...Sancti] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 14, 1, 1 (316-319); *S.th.*, I, 43, 2-3

AUGUSTINUS dicit et habetur in litera quod Spiritus Sanctus procedit  
 temporaliter quando creaturam sanctificat. Ex quo QUIDAM  
 acceperunt occasionem dicendi quod sicut processio eterna est  
 30 processio Personae a Persona, sic processio temporalis est processio  
 alicuius doni creati, puta gratiae uel charitatis, a Persona diuina in  
 animam. Quod utique non est uerum, prout nunc loquimur de  
 processione temporali; loquimur enim de processione Spiritus Sancti  
 qua Spiritus Sanctus procedit. Ex hoc autem quod aliquod donum  
 35 procedit a Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus non procedit, set aliquod  
 donum procedit ex ipso; ergo processio qua aliquod donum procedit  
 temporaliter a Spiritu Sancto in creaturis est quedam temporalis  
 processio, set non est temporalis processio Spiritus Sancti, licet una  
 non sit sine alia, ut postea patebit. Quid ergo? Dicendum quod  
 40 temporalis processio Spiritus Sancti est qua procedit a Patre et Filio  
 in creaturam. Quod potest intelligi dupliciter: uno modo quod  
 Spiritus Sanctus procedat in creaturam tanquam in subiectum, sicut  
 calor procedit ab igne in manum, quod esse non potest, quia Spiritus  
 Sanctus est Persona subsistens; alio modo quod procedat in ipsam  
 45 tanquam in obiectum amatum et cognitum et aliquo modo habitum.  
 Et hoc quidem fit ex tempore mediante aliquo dono collato creature,  
 quod est gratia uel charitas uel aliqua motio per quam creatura  
 consurgit in cognitionem et dilectionem Dei meritoriam et habet  
 Deum nouo modo, non subiectiue in se, set obiectiue, et preter hoc  
 50 habet ipsum ut specialem rectorem et directorem. Vnde processio  
 temporalis ultra exitum Personae a Persona importat sic esse in  
 creatura, scilicet obiectiue, et ut spiritualis rector et prouisor et  
 55 director; et hec duo includit temporalis | processio Personae diuine,  
 π50ra

27 Spiritus...sanctificat] cf. Aug, *De Trin.*, XV, 27, 48 (530, 28-32); Lomb., 126,  
 3-13

sicut totum includit suas partes; ergo processio temporalis Spiritus Sancti non dicitur processio alicuius doni a Spiritu sancto in creaturam, tamen non est sine ea, quia Persona diuina non se habet nouo modo ad creaturam obiectiue nisi quia creatura se habet nouo modo ad Deum per aliquid sibi a Deo de nouo influxum, ita quod tota nouitas et mutatio est in creatura secundum rem et subiectiue, in Deo autem solum secundum rationem obiectiue. Per hoc apparet principale, scilicet quod talis processio potest dici temporalis, et hoc sic: illud totum cuius altera pars non est ab eterno set nouo non est eternum, set nouum et temporale, quia totum non est nisi existentibus partibus quas totum importat; set processio Persone a Persona, ut modo nouo sit in creatura, est quoddam totum importans duas partes, quarum una est exitus Persone a Persona, alia est Personam diuinam nouo modo esse in creatura; et hec pars non est eterna, set temporalis et noua; ergo hoc totum quod est processio Persone a Persona, ut nouo modo sit in creatura, non est eternum, set temporale et nouum. Et ideo dicitur processio temporalis.

[5] Set contra hoc potest argui dupliciter. Primo sic: sicut se habet totum eternum ad suas partes, sic totum temporale ad suas; set totum non potest dici eternum nisi quelibet eius pars sit eterna; ergo nec totum potest dici temporale cuius quelibet pars non est temporalis. Cum ergo processio Spiritus Sancti, de qua loquimur, habeat duas partes, quarum una est eterna et alia temporalis, uidetur quod sicut non potest dici eterna, quia quedam pars eius non est eterna, ita non potest dici temporalis, quia quedam pars eius non est temporalis.

[6] Secundo arguitur sic: quia demonstrato uno ceco et altero uidente, sicut non potest uere affirmari quod ambo sint ceci, set negari potest utrumque, dicendo quod nec sunt uidentes nec ceci,

eodem modo in processione que includit unum eternum et aliquid  
temporale, sicut non potest dici quod sit eterna, sic nec potest dici  
85 quod sit temporalis, set utrumque est negandum.

[7] Et dicendum ad primum quod non est simile quod adducitur pro  
simili, quia ad esse totius requiritur existentia cuiuslibet partis; ad  
non-esse autem eius non requiritur quod quelibet pars non sit, set  
sufficit alteram partem non esse; `eternum` autem dicit illud quod  
90 semper est, fuit et erit; et ideo totius eterni oportet quamlibet partem  
semper esse fuisse et fore, quod est eam esse eternam; set  
`temporale` dicit aliquid sic nunc esse quod prius non fuit semper;  
cum ergo ad non-fuisse totius sufficiat alteram partem eius non  
semper fuisse, et hoc facit ipsum esse temporale, patet quod non  
95 oportet totius temporalis quamlibet partem temporalem esse.

[8] Ad secundum dicendum quod refert loqui de pluribus pluraliter  
retentis et uno toto continente plura, quia in pluribus pluraliter est  
uerum quod ISTI dicunt, non autem in toto continente plura. Si enim  
quereretur utrum ista duo, scilicet processio Personae a Persona et  
100 existentia Personae diuinae nouo modo in creatura, sint eterna uel  
temporalia, neutrum esset dicendum, set quod unum est eternum et  
aliud temporale; set cum queritur utrum hoc totum quod est  
processio Personae a Persona in creaturam sit eternum an temporale,  
dicendum quod temporale, quia non semper fuit altera parte que ad  
totum requiritur non semper existente. Et est simile: ponamus quod  
105 parieti antiquo superponatur totum tectum nouum; si quereretur  
utrum hec duo, paries et tectum, sint de nouo uel ab antiquo,  
neutrum esset dicendum, set dicendum esset quod paries antiquus et  
tectum de nouo; set si quereretur utrum domus sit de nouo uel ab  
110 antiquo, dicendum esset "de nouo"; eodem modo est in proposito.

[9] Ad primum argumentum, cum dicitur "omne quod procedit temporaliter" etc., dicendum quod omne quod procedit temporaliter incipit esse ex tempore, si accipiat esse per illam processionem secundum quod est temporalis; set Persona procedens non habet esse per processionem, ut respicit terminum ad quem, ratione cuius est temporalis, set ut respicit principium a quo, ratione cuius est eterna. 115

[10] Ad secundum dicendum quod non omnino est simile de generatione et processione, quia generatio dicitur tantum respectum geniti ad eum a quo est generatio, quod est principium communicandi naturam ipsi genito. Et ideo non ponimus nisi duas generationes in Filio secundum duas naturas communicatas, diuinam et humanam. Set 'processio' non solum dicitur habitudinem procedentis ad principium a quo procedit, set etiam ad terminum in quem procedit; et quia hic terminus potest esse temporalis, ideo ratione eius processio est temporalis, quanquam procedens nullam per hoc temporalem naturam accipiat. 120 125

#### Questio secunda

Vtrum processio temporalis Spiritus Sancti ponat in numerum cum eterna

[1] Secundo queritur utrum temporalis processio ponat in numerum cum eterna. Et uidetur quod sic quecunque habent adinuicem ordinem numerantur, quia ordo non est eiusdem ad se ipsum, set 5

---

116 ratione] *coni.*: ratio  $\pi$

plurium; set processio temporalis habet ordinem ad eternam, quia est posterior ea; ergo ponit cum ea in numerum.

10 [2] Item sicut se habet Filius ad generationem passiuam, ita Spiritus Sanctus ad spirationem passiuam; set generatio Filii eterna et temporalis sunt realiter due generationes; ergo processio Spiritus Sancti eterna et temporalis sunt realiter due processiones.

15 [3] In contrarium arguitur quia omnis processio Spiritus sancti est a Patre et Filio; illa autem non potest esse nisi unica; ergo processio Spiritus Sancti temporalis et eterna non sunt due processiones, set tantum una.

20 [4] Responsio. Si processio temporalis Spiritus Sancti esset processio qua aliquod donum procedit a Spiritu Sancto in creaturam temporaliter, sicut nonnulli ymaginantur, tunc certum esset quod processio temporalis et eterna essent due processiones realiter differentes, nec mirum; ubicunque enim sunt procedentia realiter differentia, ibi processiones realiter differunt; set sic esset in processione eterna temporali supradicto modo acceptis; ergo, etc.  
25 Minor probatur, quia procedens processione eterna est Persona diuina, procedens uero processione temporali est aliquod donum creatum, et hec differunt realiter, ut de se patet.

30 [5] Set quia hec opinio reprobata est prius, ideo dicendum est realiter quod questio potest intelligi dupliciter: uno modo quod processio temporalis et eterna ponant in numerum processionum, ita quod sint due processiones realiter differentes; alio modo quod ponant in numerum non quidem processionum, set in qualemcunque numerum rerum uel rei rationis. Si primo modo intelligatur questio, sic dico quod processio temporalis non ponit in numerum cum eterna, quia  
35 non sunt due reales processiones, set tantum una. Quod patet sic: per realem processionem fit aliquid reale in Persona procedente

absolutum uel relatum; in diuinis etiam Persona que procedit ab alia per processionem habet quicquid habet absolutum uel relatum a Persona a qua procedit; ergo per aliam et aliam realem processionem fit aliud realiter in procedente; set per processionem temporalem Spiritus Sancti nichil fit reale absolutum uel relatum in Spiritu Sancto preter illud quod est in ipso per processionem eternam; ergo processio temporalis non est processio realiter distincta ab eterna. Et hoc quidem manifestum est ex predictis; `processio` enim `eterna` dicit solum exitum Persone a Persona, `processio` uero `temporalis` dicit illud idem cum nouo respectu ad creaturam, et iste nouus respectus non potest dici secundum se `processio` (alioquin cum Pater possit habere et habeat quandoque hunc nouum respectum ad creaturam, Pater diceretur quandoque temporaliter procedere, quod est falsum); totum ergo hoc, scilicet processio Persone a Persona cum nouo respectu ad creaturam, dicitur `processio temporalis`, `processio eterna` quidem ratione solius primi, set `temporalis` ratione solius secundi, et ita est ibi unica processio, que est eterna ex primo et dicitur `temporalis` ex secundo.

[6] Si autem questio intelligatur secundo modo, sic adhuc dicendum quod processio temporalis et eterna non ponunt in numerum rerum, quia nec sunt due res nec una includit super aliam aliquam rem. Quod patet, quia preter processionem eternam nichil est ibi nisi respectus nouus ad creaturam; ille autem respectus non est realis, set solum secundum rationem, etc. Verumtamen licet processio temporalis non sit alia res nec aliam rem includat intrinsece, connotat tamen aliam rem intrinsece. Hoc autem donum est aliquid in creatura, quia Persona diuina non se habet nouo modo ad creaturam

44 `processio`] *scr.*: *præcessio*  $\pi$



65 obiectiue, nisi quia creatura se habet nouo modo ad Deum per  
 alicui receptum in ea subiectiue. Et est simile: Deus et Deus creans  
 non sunt duo dii nec due res, et tamen `Deus creans` connotat  
 extrinsece aliam rem, scilicet creaturam. Similiter est in proposito, ut  
 uisum est. Si autem questio intelligatur de qualicumque numero,  
 scilicet rei uel rationis, sic processio temporalis ponit in numerum  
 70 cum eterna, non ita quod una processio, puta eterna, sit tantum res  
 et alia, scilicet temporalis, sit tantum ratio, set quia supra  
 processionem eternam, que uera res est, processio temporalis addit  
 respectum ad creaturam, qui est solum secundum rationem.

[7] Ad primum argumentum dicendum quod ordo processionis  
 75 temporalis ad eternam est solum ratione connotati, ex quo consurgit  
 circa Personam diuinam procedentem respectus nouus, licet  
 secundum rationem, et per consequens numerus rei et rationis uel  
 eiusdem accepti solum secundum rem ad seipsum acceptum  
 secundum nouam rationem.

80 [8] Ad secundum dicendum quod generatio Filii eterna et temporalis  
 non solum distinguuntur per respectum rationis superadditum, sicut  
 processio Spiritus Sancti temporalis et eterna, set per diuersas  
 naturas acceptas per hanc generationem et illam; ideo generationes  
 realiter distinguuntur sicut nature per eas accepte; non sic autem est ex  
 85 alia parte.

### Questio tertia

Vtrum per processionem temporalem Spiritus Sanctus detur an eius

---

73 qui] *coni.*: quæπ

2 Vtrum...dona] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 14, 2, 1 (321-324); *S.th.*, I, 38, 1-2

## dona

- [1] Tertio queritur utrum per processionem temporalem ipsemet Spiritus Sanctus detur an tantum eius dona. Et uidetur quod ipsemet Spiritus Sanctus non detur, quia illud de nouo datur quod nouo modo habetur; set Spiritus Sanctus secundum se non habetur nouo modo, set tantum secundum eius dona; ergo etc. Minor probatur per **AUTOR De causis**, qui dicit quod prima causa semper eodem modo se habet ad res quamuis res diuersimode se habeant ad primam causam. 5
- [2] In contrarium est quod dicitur **Rom. 5: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis**; ergo uidetur secundum **APOSTOLUM** quod utrumque detur, scilicet ipse Spiritus Sanctus et dona eius. 10 15
- [3] Responsio. Videnda sunt tria: primum est quomodo Spiritus Sanctus detur cum donis suis et non tantum sua dona; secundum est cum quibus donis Spiritus Sanctus detur et cum quibus non; tertium est quid detur per prius, utrum Spiritus Sanctus an dona eius. 20  
Quantum ad primum sciendum est quod aliquid potest dari alteri dupliciter ad presens: uno modo sicut forma inherens, sicut calor datur aque ab igne, et isto modo Spiritus Sanctus nunquam datur cum sit Persona subsistens et nullo modo forma inherens; alio modo sicut obiectum uel sicut amicus rector et motor, sicut dicitur quod 25  
aliquid datur puero in tutorem, et hoc modo datur Spiritus Sanctus hominibus et non solum dona eius; est enim quorundam obiectum

---

**10** autor] *coni.* (cf. *infra*, [7]): auctoritatem  $\pi$

---

**10** prima...12 causam] cf. *Liber de causis*, 24 (185, 20-23; 186, 45-48); *Auct. Ar.*, 11, 19 (232, 7-9) **13** Charitas...nobis] Paul., *Rom.*, 5, 5

cognitum et amatum quorum ipse est spiritualis tutor et director.

[4] Ex hoc patet secundum, scilicet quod Spiritus Sanctus datur  
 30 creature rationali solum cum donis nature, set imperfecte, cum donis  
 uero gratie perfectius, set cum donis glorie perfectissime. Quod patet  
 unica ratione, que talis est: illi soli creature datur Spiritus Sanctus que  
 potest in ipsum tendere tanquam in obiectum cognitum et amatum  
 et cuius ipse est spiritualis tutor et director; set sola creatura  
 35 rationalis potest intendere in Deum uel in Spiritum Sanctum  
 tanquam in obiectum amatum et cognitum, imperfecte quidem  
 secundum dona nature, perfectius uero secundum dona gratie,  
 perfectissime autem secundum dona glorie; solius etiam creature  
 π51vb rationalis est specialis tutor, prouisor | et director, quia ordinabilis  
 40 est ad finem supernaturalem, et specialior electorum, specialissimus  
 autem beatorum; ergo Spiritus Sanctus datur soli creature naturali  
 imperfecte secundum dona nature, perfectius secundum dona gratie,  
 set perfectissime secundum dona glorie.

[5] Quantum ad tertium notandum quod aliquid dicitur prius  
 45 dupliciter: uno modo secundum tempus, alio modo secundum  
 naturam. Si loquamur de prioritare secundum tempus, sic in datione  
 Spiritus Sancti et donorum eius, maxime quo ad dona glorie, nullo  
 modo est prius et posterius secundum tempus. Cuius ratio est quia  
 dona pertinentia ad beatitudinem semper perficiunt ipsam animam in  
 50 actu suo, quia beatitudo consistit in actuali operatione, ut patet ex I  
 E t h i c o r u m; set illius actus uel operationis obiectum cognitum et  
 amatum est Deus uel Spiritus Sanctus cum illa operatio sit intellectus  
 et uoluntatis; ergo simul secundum tempus habentur dona glorie et

---

44 aliquid...46 naturam] cf. Arist., *Metaph.*, V, 11, 1018b9-15  
 50 beatitudo...operatione] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 6, 1098a15-18

Deus uel Spiritus Sanctus ut amatus et cognitus.

[6] De donis autem gratie et nature, cum quibus Deus habetur minus 55  
 perfecte, secus est, quia illa non semper perficiunt hominem in actu  
 suo; non enim habens intellectum et uoluntatem etiam cum fide et  
 charitate semper est in actu contemplandi et diligendi Deum  
 naturaliter uel meritorie; et ideo cum hiis donis non semper habetur  
 Deus uel Spiritus Sanctus ut actus cognitus et amatus, set solum 60  
 secundum potentiam uel habitum; propter quod hec dona prius  
 habentur secundum tempus quam Spiritus Sanctus habeatur in actu.  
 Si uero loquamur de prioritate secundum naturam sic ad presens  
 duplex est natura, scilicet materia et forma; forma autem est  
 perfectio materie; et ideo illa que sunt perfectiora sunt priora 65  
 secundum naturam forme uel finis; que autem sunt imperfectiora  
 sunt priora secundum naturam materie uel subiecti recipientis. Cum  
 ergo habere Deum ut cognitum et amatum sit sicut finis et perfectio  
 principaliter intenta, patet quod secundum naturam forme et finis,  
 qui aliquo modo coincidit cum forma, Spiritus Sanctus datur prius 70  
 natura quam dentur eius dona; set secundum naturam materie uel  
 subiecti recipientis prius habentur dona Spiritus Sancti quam ipse  
 Spiritus Sanctus propter duo: primo, quia semper in subiecto  
 dispositio precedit naturaliter perfectionem; set dona Spiritus Sancti  
 sunt quedam dispositiones ad habendum Deum; ergo etc.; secundo, 75  
 quia Persona diuina non se habet nouo modo ad creaturam obiectiue  
 nisi quia creatura se habet nouo modo ad Deum per aliquid quod est  
 ei datum de nouo et est in ea subiectiue; set illud quod est causa et  
 ratio alterius est prius eo secundum naturam; ergo dona influxa  
 natura a Deo sunt in ea prius secundum naturam quam ipsa feratur 80  
 in Deum tanquam obiectum, quod est eam habere Spiritum  
 Sanctum.

[7] Ad argumentum in oppositum dicendum quod ipse Deus uel Spiritus Sanctus nouo modo se habet ad creaturam, non quidem  
 85 subiectiue, set obiectiue absque mutatione sui per solam mutationem  
 creature, et cum quo Deus eodem modo se habet ad res secundum  
 AUTOREM De c a u s i s, dicendum quod intelligendum est sic quod  
 in Deo non sunt subiectiue diuersi modi reales quibus se habeat  
 nunc aliter quam prius, ex uariatione tamen creaturarum uarie  
 90 relationes secundum rationem consurgunt circa Deum obiectiue, et  
 sic est in proposito.

#### Questio quarta

##### Vtrum Spiritus Sanctus detur a uiris sanctis

[1] Quarto queritur utrum Spiritus Sanctus detur a sanctis uiris. Et  
 5 uidetur quod sic, quia Christus dedit discipulis potestatem dimittendi  
 peccata; set peccata non dimittuntur nisi per Spiritum Sanctum; ergo  
 discipuli potuerunt dare Spiritum Sanctum.

[2] In contrarium est quod dicit AUGUSTINUS De Trinitate: *Non  
 aliquis discipulorum dedit Spiritum Sanctum, set orabant ut ueniret in  
 10 hominem.*

[3] Responsio. Dicendum quod Spiritus Sanctus potest dari

---

86 quo] *an srib.* arguitur quod? 87 autorem] authorem  $\pi$

86 Deus...res] cf. *Liber de auasis*, 24 (185, 20-23; 186, 45-48); *Auct. Ar.*, 11, 19  
 (232, 7-9) 2 Vtrum...sanctis] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 14, 2, 3 (327-329)  
 8 Non...10 hominem] Aug., *De Trin.*, XV, 26, 46 (526, 34-36)

dupliciter: uno modo directe per modum auctoritatis, alio modo  
 indirecte per modum ministerii. Primo modo non potest Spiritus  
 Sanctus dari a quacunq̄ creatura, angelo uel homine, nec in se nec  
 in donis suis. Non in se, quia Spiritus Sanctus solum potest dari  
 per modum auctoritatis ab illis a quibus originatur, quia non est  
 auctoritas Personae supra Personam diuinis nisi ratione originis, unde  
 nec aliqua Persona semetipsam dat; si tamen dat, non per modum  
 auctoritatis dat, set tantum per modum cuiusdam liberalitatis; set  
 Spiritus Sanctus originatur solum a Patre et Filio et non ab aliqua  
 creatura; ergo Spiritus Sanctus non datur per modum auctoritatis nisi  
 a Patre et Filio et non ab aliqua creatura; nec per modum liberalitatis  
 dari potest nisi ab illis quorum uoluntati subest Spiritus Sanctus  
 haberi a nobis; hii autem sunt solum Pater et Filius et Spiritus  
 Sanctus, quorum est una et eadem uoluntas; ergo nec per modum  
 auctoritatis potest dari Spiritus Sanctus a quacunq̄ creatura.

[4] Item nec dona Spiritus Sancti possunt isto modo dari ab aliqua  
 creatura, quia dona illa, si sint nature, cum sint intellectus et uoluntas,  
 non possunt esse nisi a create cum intellectus et uoluntas sint ab  
 extrinseco; si uero sint dona gratie, aut sunt dona gratie gratum  
 facientis et similia aut non sunt aliud quam acceptatio diuina, que  
 non potest esse ab alio causaliter nec in alio formaliter nisi in Deo; si  
 sint aliud, cum non possint educi de potentia subiecti uel materie,  
 inducuntur a create solum.

[5] Idem intelligendum est de donis gratie gratis date quo ad hoc  
 quod non subest uoluntati creature talia conferre cum eleuent  
 naturam supra id ad quod quocunq̄ natura creata secundum se non  
 potest attingere; ergo nec Spiritus Sanctus in se nec in donis suis  
 potest dari a quacunq̄ creatura directe et per modum auctoritatis.  
 Alio modo potest dari Spiritus Sanctus indirecte per modum ministri,

et hoc modo potest dari Spiritus ab hominibus, non solum bonis, set etiam malis, dum administrant sacramenta ecclesie, in quibus et cum quibus datur Spiritus Sanctus nisi recipiens ponat obicem. Potest etiam dari ab omnibus talibus occasionaliter per eorum  
 45 predicationem suadendo uiam salutis. Potest etiam dari preter hos modos Spiritus Sanctus a bonis aliquo modo merendo per orationem, sicut legitur de Apostolis *Actuum* 8<sup>o</sup>: *Orauerunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum*. Potest etiam fantasia hominis immutari per ministerium angelicum ut in ea appareant mala fugienda et bona  
 50 prosequenda, quibus ostensis redit homo de culpa ad gratiam per penitentiam. Et ideo Spiritus Sanctus potest dari hiis modis a bonis et malis, non solum hominibus set etiam angelis, non directe per modum autoritatis, set indirecte modis quibus dictum est. Et per hoc patet solutio ad argumenta.

55

---

50 prosequenda] *coni.*: prosequendo  $\pi$

---

47 Orauerunt...Sanctum] *Act.*, 8, 15

Distinctio 15<sup>a</sup>

Sententia litere MAGISTRI in generali et speciali

[1] *Hic considerandum est.* Superius dixit MAGISTER quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio temporaliter, hic autem inquit 5  
utrum Spiritus Sanctus detur a se. Et diuiditur in duas: primo enim  
inquit de hoc; et secundo quia fecerat mentionem de missione Filii  
determinat incidentaliter de ea. Secunda ibi: *Hic queritur.* Prima  
diuiditur in tres: primo enim mouet questionem suam; secundo  
solut; tertio solutionem confirmat per simile de missione Filii. 10  
Secunda ibi: *Ad quod dicimus.* Tertia ibi: *Ne admireris.* Et hec tertia  
diuiditur in quatuor partes: primo enim proponit in tantum de  
missione Filii in generali; secundo ostendit quod Filius missus <est>  
a Patre; tertio quod missus est a Spiritu Sancto; quarto quod datus et  
missus est a seipso. Secunda ibi: *Quocirca.* Tertia ibi: *Et quod a Spiritu* 15  
*Sancto.* Quarta ibi: [Deinde autem] *Hic queritur utrum semel.* Superius  
determinauit MAGISTER de temporali missione Spiritus Sancti. Et  
quia in determinando de temporali missione Spiritus Sancti  
mentionem fecit de missione Filii, ideo in parte ista incidentaliter agit  
de missione Filii. Et diuiditur in duas partes: primo enim proponit 20  
suum intentum; secundo mouet incidentaliter quandam questionem.  
Secunda ibi: *Hic queritur cur Pater.* Prima diuiditur in tres: primo  
mouet questionem intentam; secundo soluit assignando duos modos

---

13 est] *suppl.: om. π* 16 Deinde autem] *sed.* 22 cur] *scr. cum Lombardo: cum π*

4 Hic...est] Lomb., 130, 25 | Superius...temporaliter] cf. Lomb., 126, 3 - 130, 22 8 Hic queritur] cf. Lomb., 135, 5 11 Ad...dicimus] cf. Lomb., 131, 3 | Ne admireris] cf. Lomb., 131, 28 15 Quocirca] Lomb., 132, 13 | Et...Sancto] Lomb., 132, 23-24 16 Hic...semel] Lomb., 135, 5-6 22 Hic...Pater] Lomb., 137, 4-5



ipsius missionis Filii; tertio ostendit differentiam inter modos  
 25 missionis assignatos. Secunda ibi: *Quod dicimus*. Tertia ibi: *Ideo-  
 que putauerunt*. Hec est diuisio MAGISTRI in generali.

[2] In speciali uero sic procedit MAGISTER. Et querit primo utrum  
 π51rb Spiritus Sanctus detur a se; postea soluit et ostendit | quod sic, quia  
 opera Trinitatis sunt indiuisa, sed datio Spiritus Sancti est quedam  
 30 operatio communis tribus Personis. Item quicquid potest facere  
 Pater, totum conuenit aliis; ergo si Pater potest dare Spiritum  
 Sanctum, similiter Spiritus Sanctus dabit et potest dare seipsum.  
 Spiritus sanctus etiam mittitur a seipso. Postea confirmat per simile  
 de missione Filii dicens quod non solum est admirandum quod etiam  
 35 Filius dicitur a se missus in mundum. Postea ostendit quod missio  
 Filii in carnem et ad predicandum fuit a Patre. Deinde ostendit quod  
 fuit a Spiritu Sancto, et hoc confirmat autoritate AUGUSTINI. Vltimo  
 ostendit quod Filius a seipso datus est, quia Propheta dicit eum *datum  
 nobis*, non distinguendo a quo. Ostendit etiam quod Filius datur a se  
 40 et a Patre, sicut traditus est a se et a Patre, nec obstat quod aliquando  
 Filius dicit: *A meipso non ueni*; hoc enim intelligitur secundum formam  
 serui, missio hec est Filii incarnatio. Tunc sequitur pars illa que  
 incipit ibi: *Hic queritur*, ubi querit MAGISTER utrum semel tantum sit  
 missus Filius Dei an sepe. Et respondet MAGISTER quod preter  
 45 generationem eternam, quam quoddam misterium appellat, quod  
 duobus modis missus est, scilicet uisibiliter in carnem et inuisibiliter

---

25 Quod dicimus] Lomb., 137, 6 | Ideoque putauerunt] Lomb., 137, 17  
 27 Et...33 seipso] cf. Lomb., 130, 25 - 131, 26 33 Postea...36 Patre] cf.  
 Lomb., 131, 28 - 132, 21 36 Deinde...Augustini] cf. Lomb., 132, 23 - 133, 13;  
 Aug., *De Trin.*, II, 5, 8 (89, 37 - 90, 53) 37 Vltimo...42 incarnatio] cf. Lomb.,  
 133, 15 - 135, 3 38 datum nobis] cf. Is., 9, 6 41 A...ueni] Ioh., 7, 28 43 Hic  
 queritur] Lomb., 135, 5 | querit...52 Augustini] cf. Lomb., 135, 5 - 137, 2; Aug.,  
*De Trin.*, IV, 20, 27-28 (197, 49 - 199, 94)

in mentem; et hos modos missionis ponit AUGUSTINUS. Et differt una missio ab alia; nam missio in carnem semel facta est, missio uero in mentem pluries. Item per primam missus est in mundum, per secundam non proprie, imo per eam nobis tale donum datur per quod quoddammodo supra mundum eleuamur. Et hoc confirmat per autoritatem AUGUSTINI. Postea *queritur cur Pater non dicitur missus*. Et respondet quod hoc ideo est, quia non est ab alio, imo in eo est principium siue autoritas, unde autoritati non congruebat mitti. Et hoc confirmat autoritate AUGUSTINI. Vltimo excludit errorem QUORUNDAM dicentium quod quia Pater non mittitur, Filius uero mittitur et Spiritus Sanctus, Pater est maior, Filius uero et Spiritus Sanctus sunt minores. Etiam respondet MAGISTER autoritate AUGUSTINI quod propter talem missionem nulla ponitur minoritas in Personis missis, set autoritas mittentis et effectus uisibilis in creatura in qua Pater non apparuit, sicut illi, scilicet Filius et Spiritus Sanctus. In fine autem dicit quod per ea que dicta sunt patet que sit missio Filii et quibus modis mittatur.

50

55

60

65

### Questio prima

#### Vtrum mitti conueniat alicui Persone diuine

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum mitti conueniat alicui Persone diuine. Et uidetur quod non, quia nichil pertinens ad

5

52 Postea...55 Augustini] cf. Lomb., 137, 4 -14; Aug., *De Trin.*, IV, 20, 29 et 21, 32 (200, 120-122 et 205, 79-82) 55 Vltimo...63 mittatur] cf. Lomb., 137, 17-30; Aug., *De Trin.*, IV, 21, 32 (205, 73-79)

2 Vtrum...diuine] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 15, 1, 1 (336-338); *S.th.*, I, 43, 1

inferioritatem potest dici de una Persona respectu alterius; set missio importat inferioritatem in misso respectu mittentis; ergo missio non competit alicui persone diuine. Maior patet, quia in Trinitate non sunt gradus maioris et minoris, superioris et inferioris; propter quod  
 10 DAMASCENUS dicit quod Christus non est *obediens Patri* nisi secundum quid et *secundum quod homo*, quia obedientia importat inferioritatem. Minor probatur, quia superioribus et maioribus et nobilioribus angelis non competit mitti secundum DYONISIUM, set solum inferioribus; ergo missio, ut uidetur, importat inferioritatem.

15 [2] Item missio importat separationem missi a mittente; set in diuinis Persone non separantur abinuicem, quia semper una est in alia: *Ego in Patre et Pater in me est*, IOANNIS 14°; ergo etc.

[3] In contrarium est quod dicitur Ioannis 8°: *Neque a me ipso ueni, set Pater meus ille me misit*; et in eodem Euangelio simile habetur in  
 20 pluribus locis. Similiter Gal. 4° dicitur: *At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*.

[4] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt tria: primum est quid importetur nomine `missionis`; secundum erit qualiter conueniat diuinis; tertium qualiter differat a processione et a datione.  
 25 Quantum ad primam sciendum est quod in creaturis, ex quibus transferimus nomina ad diuina, uidemus quod missio est motus uel exitus alicuius ab aliquo accipientis auctoritatem uel potestatem ad aliquid agendum uel dicendum, sicut legatus dicitur missus a papa uel nuncius a domino, quia uterque recipit auctoritatem aliquid agendi,  
 π51va telum etiam dicitur missum | a iacente eo quod ab ipso recipit

10 Christus...12 inferioritatem] cf. Ioh. Damasc., *De fide orthod.*, 58 (222, 141-144) 12 superioribus...14 inferioribus] cf. Ps.-Dionys., *De ael. hier.*, 13 (942-943) 16 Ego...est] Ioh., 14, 10 18 Neque...misit] Ioh., 8, 42 19 et...locis] cf. Ioh., 7, 28; 8, 26/29; 13, 3; 15, 21; 16, 28 20 At...suum] Paul., *Gal.*, 4, 4

uirtutem percutiendi; et in hiis omnibus sunt multe imperfectiones, scilicet motus et mutatio secundum que fit inter mittentem et missum localis separatio et acceptio autoritatis uel uirtutis diminute uel saltem non eiusdem; quia ea que sunt in creaturis non transferuntur ad diuina nisi segregatis imperfectionibus, ideo segregemus a `missione` predictas imperfectiones, scilicet motum et mutationem et localem separationem et diminutionem potestatis uel autoritatis, et habebimus quod missio est exitus unius ab altero absque mutatione et locali separatione accipiendo eandem uirtutem et eque perfectam ad aliquid agendum.

[5] Ex hoc patet secundum quod est principale propositum quod in diuinis est exitus Persone a Persona secundum originem absque omni mutatione et locali separatione et acceptio eiusdem uirtutis ad sanctificandum creaturam, et sic in diuinis est missio.

[6] Circa tertium est intelligendum quod ista differunt, scilicet processio, missio et datio, quia `processio` dicit exitum Persone a Persona uel precise, sicut generatio est processio Filii a Patre, uel cum aptitudine ad ulteriorem terminum, sicut Filius dicitur procedere a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque in creaturam secundum aliquid in creatura causatum; `missio` autem importat originem Persone misse ab aliqua alia (et in hoc conuenit cum processione et importat semper effectum nouum in creatura et nouum modum essendi in creatura, et in hoc differt a processione, que conuenit uel conuenire potest Persone diuine absque nouo respectu ad creaturam; uidetur tamen esse totaliter idem cum processione temporali, que semper ponit effectum in creatura); `datio` autem non importat originem in dato, quia idem potest dare se ipsum modo quo Persona diuina datur, scilicet ut obiectum cognitum et amatum (et in hoc differt datio a processione et missione, que semper important originem

60 producentis et missi, set connotat effectum nouum secundum quem  
attenditur datio; et in hoc conuenit cum missione). Ex hoc apparet  
quod quia `missio´ et `processio´ important originem, `datio´ autem  
non, ideo procedere et mitti non conuenit cuilibet Persona diuine,  
saltem Patri, qui est a nullo. Vnde AUGUSTINUS II De Trinitate  
65 capitulo 12<sup>o</sup> dicit quod *Pater nusquam legitur missus*, quia non habet de  
quo sit aut a quo procedat. Dari autem conuenit cuilibet Persone,  
quia quelibet potest seipsam dare. Quia uero `missio´ et `datio´  
semper important effectum temporalem, `processio´ autem non  
semper, ideo mitti et dari non possunt conuenire diuine Persone nisi  
70 ex tempore, procedere autem potest conuenire ab eterno uel ex  
tempore.

[7] Ad primum dicendum per interemptionem minoris quia `missio´  
in diuinis non semper importat superioritatem in mittente nec  
inferioritatem in misso, set autoritatem principii in uno respectu  
75 alterius. Et hec innenitur bene inter diuinas Personas, nec est simile  
de obedientia que est respectu precepti quod pertinet ad dominium,  
quod importat gradum dignitatis qui non inter Personas diuinas. Et  
quod probatur, quia superiores angeli propter suam dignitatem non  
mittuntur, dicendum quod forte superiores angeli quandoque  
80 mittuntur, licet non regulariter, ut patebit in II libro; et si nunquam  
mitterentur, hoc non esset propter eorum dignitatem, set quia omnes  
effectus ministerii angelici possunt fieri per inferiores angelos, et ideo  
non oportet quod superiores mittantur; set effectus missionis non  
possunt fieri nisi a Persona diuina; propter quod oportet quod ipsa  
85 mittatur.

[8] Ad secundum patet solutio ex iam dictis.

---

65 Pater...missus] cf. Aug, *De Trin.*, II, 5, 8 (89, 33-34); 7, 12 (97, 1)  
79 forte...regulariter] cf. infra, II, 10, 1 (150ra-b)

Questio secunda

Vtrum `missio` dicat aliquid notionale an essenziale

- [1] Secundo queritur utrum `missio` dicat aliquid notionale an  
essentiale. Et uidetur quod dicat aliquid notionale, quia id quod in 5  
diuinis sic conuenit uni uel duabus Personis, quod non omnibus est  
notionale; set missio conuenit duabus Personis, scilicet Filio et  
Spiritu Sancto, ita quod non omnibus; Pater enim non legitur  
missus, ut supra dictum est; ergo missio dicit aliquid notionale.
- [2] Item BEDA dicit in quadam homilia quod *missio* Spiritus Sancti *est* 10  
*eius processio*; set processio eius est quid notionale; ergo et missio.
- [3] In contrarium arguitur quia nulla notio est communis Filio et  
Spiritu Sancto; set missio communis est utrique (uterque enim  
legitur missus); ergo missio non est aliquid notionale.
- [4] Responsio. Videndum est primo quid dicitur esse `notionale` et 15  
quid `essentiale` ut per hoc appareat quod queritur. Sciendum ergo  
quod notionale est id quod includit proprium alicuius unius Personae  
uel duarum ita quod non conueniat omnibus; et dicitur `notionale`,  
quia notitiam facit de Persona quantum ad aliquid pertinens ad  
distinctionem Personarum. 20
- [5] `Essentiale` autem dicitur quod conuenit omnibus Personis  
ratione essentie absolute uel alicuius attributi absolute. Hoc  
supposito, dicendum quod quedam sunt nomina in diuinis pure

2 Vtrum...essentiale] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 15, 1, 2 (339-340)  
10 missio...processio] Beda, *Hom.*, II, 16 (291, 20)

essentialia, quedam pure notionalia, quedam partim essentialia et  
 25 partim notionalia. Pure essentialia sunt sicut `bonus`, `sapiens` et  
 huiusmodi; pure notionalia sunt sicut `generatio`, `spiratio` et similia;  
 partim notionalia et essentialia sunt que includunt utrumque, siue  
 pluribus nominibus, ut `potentia generandi` secundum ILLOS qui  
 dicunt quod potentia generandi includit essentiam et respectum, ut  
 30 `sapientia genita`, siue unico nomine, ut `incarnatum`, quod dicit  
 opus commune Trinitati et includit singulariter suppositum Filii.

[6] Qualitercunque hoc sit de numero talium est missio, includit  
 enim notionale et essenziale, quod apparet primo de notionali sic:  
 missio est exitus Persone a Persona ut apparet ex precedente  
 35 questione; set exitus Persone a Persona est per originem, que ad  
 notoriam pertinet; ergo `missio` includit aliquid notionale.

[7] Item includit aliquid essenziale, quia `missio` importat effectum in  
 creatura; set effectus in creatura est opus commune toti Trinitati  
 ratione communis essentie et potentie; ergo `missio` includit aliquid  
 40 essenziale; includit ergo utrumque.

[8] Quid autem includit principalius? Credo quod illud quod est  
 essenziale. Quod patet sic, quando duo includuntur in aliquo et unum  
 est quasi ratio completiua et formalis respectu alterius et aliud quasi  
 materiale presuppositum, illud quod est formale est principalius; set  
 45 in missione illud quod est essenziale est quasi completiuum et  
 formale respectu eius quod est notionale; ergo in `missione`  
 principalius includitur essenziale quam notionale. Maior de se patet,  
 set minor probatur per AUGUSTINUM, qui dicit X De Trinitate  
 quod *Filius non eo quod Filius est a Patre missus, set uel ex eo quod uisibilis*

---

27 siue] *scr.*: sine  $\pi$

---

49 Filius<sup>1</sup>...sanctificat] cf. Aug., *De Trin.*, IV, 20, 28 (198, 71-75)

*apparuit, uel ex eo quod mentem cuiusunque* sanctificat; sanctificatio 50  
autem mentis nostre est quoddam essenziale cum sit a tota Trinitate,  
ut dictum est; ergo formale et completium in missione est aliquid  
essentiale. Et hec fuit minor; sequitur ergo conclusio, scilicet quod  
principalius quod importatur per missionem est essenziale. Dico  
autem `principalius`, non quia predicetur in recto de missione, set 55  
quia complet rationem missionis respectu notionalis, quod est  
presuppositum uel quasi materiale; uel posset dici quod etiam in  
recto illud quod est essenziale includitur in ratione missionis  
transformando missionis rationem prius dictam, et forte magis  
proprie; sic missio est apparitio Personae diuinae procedentis in natura 60  
creata quantum ad missionem uisibilem uel sanctificatio creature per  
dona appropriata Personae procedentibus.

[9] Ad primum argumentum dicendum quod illud quod conuenit uni  
Personae uel duabus ita quod non omnibus oportet quod importet  
aliquid notionale. Et nichilominus potest cum hoc importare aliquid 65  
essentiale, ut sapientia genita, quia per id quod est notionale, totum  
contrahitur ut non possit dici de omnibus, set tantum de una uel  
duabus, et sic est de missione, ut dictum est.

[10] Ad secundum dicendum quod missio Spiritus Sancti est  
processio eius, set preter hoc includit aliquid aliud, scilicet effectum 70  
aliquem in creatura et illud est quoddam essenziale.

[11] Ad tertium, quod est pro altera parte, dicendum est quod notio  
potest significari dupliciter: uno modo in speciali, | ut paternitas uel 75  
filiatio uel spiratio, et sic nulla notio est communis Filio et Spiritui  
Sancto uel potest significari in communi sicut esse ab alio. Et hoc  
modo Filius et Spiritus Sanctus habent communem notionem, que  
includitur in missione, quia quilibet eorum est ab alio a quo mittitur.



Questio tertia

Vtrum aliqua Persona possit mitti a seipsa uel ab illa

a qua non procedit

- 5 [1] Tertio queritur utrum aliqua Persona possit mitti a seipsa uel ab alia a qua non procedit. Et uidetur quod sic. AUGUSTINUS IV De Trinitate capitulo 20° dicit sic: *Sicut generari est Filium esse a Patre, ita Filium cognosci esse a Patre est Filium mitti a Patre; set ista cognitio potest causari a Filio; ergo missio Filii potest esse a seipso.*
- 10 [2] Item YSAIE 48° dicitur ex persona Filii: *Et nunc misit me Dominus et Spiritus eius;* ergo Filius mittitur a Patre et Spiritu Sancto; set non procedit, ut constat, a Spiritu Sancto; ergo Filius mittitur a Persona a qua non procedit.
- [3] Item AMBROSIIUS libro De Spiritu Sancto dicit: *Filius datus est nobis, datus est (audeo dicere) a Spiritu Sancto;* ergo eadem ratione missus est ab eo, et sic idem quod prius.
- 15 [4] Contra AUGUSTINUS III De Trinitate capitulo 20°: *Ab illo mittitur Filius a quo emanat;* set Filius emanat a Spiritu Sancto nec aliqua Persona a seipsa; ergo Filius non mittitur a Spiritu Sancto nec
- 20 a seipso, nec aliqua Persona mittitur a seipsa.
- [5] Responsio. Hic sunt duo modi dicendi. Vnus est quod aliqua Persona potest mittere seipsam et etiam una Persona potest aliam mittere que ab ipsa non procedit. Ratio autem huius opinionis est

---

2 Vtrum...procedit] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 15, 3, 1-2 (342-348); *S.th.*, I, 43, 8  
 6 Augustinus...9 seipso] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 15, 3, 1, sed contra (343)  
 7 Sicut...Patre<sup>3</sup>] Aug., *De Trin.*, IV, 20, 29 (99-101) 10 Et...eius] Is., 48, 16  
 14 Filius...Sancto] Ambr., *De Spir. S.*, III, 2, 9 (153, 6-8) 17 Ab...emanat]  
 Aug., *De Trin.*, IV, 20, 44 (197, 44-45)

ista: diuersimode enim uerificatur aliqua locutio, quando aliquod  
coniunctum predicatur de aliquo secundum esse et quando 25  
secundum fieri; quando enim predicatur de aliquo secundum esse  
oportet quod utraque pars coniuncti uerificetur de subiecto, ut si  
dicatur "Sortes est homo albus", oportet eum esse hominem et esse  
album, nisi unum diminuat de ratione alterius, ut `homo mortuus`;  
set quando predicatur coniunctum secundum fieri, uerificatur totum 30  
ratione solius partis, ut si dicatur sic "Sortes est nunc factus homo  
albus", sufficit ad ueritatem locutionis quod sit nunc factus albus,  
licet non sit factus homo; sic etiam est in facere actiue, quia ad hoc  
quod pictor dicatur facere parietem album, non oportet quod faciat  
utrumque, scilicet parietem et albedinem, set sufficit albedinem 35  
facere in pariete.

[6] Ex hoc ad propositum. Personam mitti est eam fieri nouo modo  
in creatura per effectum in creatura tantum, ut dictum fuit; ergo ad  
hoc quod aliqua Persona dicatur mittere aliam actiue, sufficit quod  
habeat causalitatem super illud quod est formale in missione et non 40  
super Personam missam, sicut sufficit quod pictor faciat solum  
albedinem parietis et tamen dicitur facere parietem album; formale  
autem in missione est effectus in creatura causatus, super quem  
quelibet Persona diuina habet causalitatem; ergo quelibet potest  
mittere; ergo Spiritus Sanctus potest aliquam Personam mittere; set 45  
hoc non potest esse nisi mittendo se uel mittendo Personam que ab  
ipso non procedit, quia nulla procedit a Spiritu Sancto; ergo etc. Hic  
est unus modus dicendi, quem MAGISTER uidetur multum sequi in  
litera et ad quem AUGUSTINUS uidetur declinare II De Trinitate

---

31 partis] partis *coni.*: patris  $\pi$

---

47 Hic...49 litera] cf. Lomb., 131, 28 - 132, 11

50 capitulo 6°, ubi dicit quod sicut Filius tradidit seipsum et sanctificavit  
seipsum, sic misit seipsum, quamvis stricte accipiendo missione non  
sit simile quod adducitur pro simili de traditione et sanctificatione,  
quia hoc non importat originem sicut missio.

[7] Alius est modus dicendi ad questionem, scilicet quod necesse est  
55 Personam que mittitur originari ab illa, que dicitur ipsam mittere.  
Quod patet primo supponendo quod missum in diuinis sub ratione  
qua missum est importat quod sit ab alio per originem; alioquin  
Pater, qui non est ab alio, posset dici missus, quod negat  
AUGUSTINUS IV De Trinitate capitulo 20° allegans hanc  
60 rationem, ut dictum fuit, in prima questione huius distinctionis. Ex  
hoc sic arguitur: missum sub ratione missi importat originem  
passiuam; set missum ut missum non se habet passiuæ nisi ad  
mittentem; ergo missum in diuinis trahit a mittente originem. Et  
confirmatur, quia: quid pertinet ad missionem quod missum sit ab  
65 alio nisi sit ab alio pertinente ad missionem? Certe nichil, ut uidetur.  
Cum ergo illud a quo est Persona missa non sit creatura ad quam  
mittitur, nec effectus in ea causatus, nec ipsamet Persona missa, quia  
non est a seipsa, preter hoc non est aliquid nisi mittens, relinquitur  
quod oportet Personam missam esse a mittente Persona.

70 [8] Secundo sic: ista est bona consequentia secundum omnes:  
"Persona diuina mittitur; ergo ipsa originatur", quia missio non  
potest saluari sine ratione originis; unde secundum AUGUSTINUM  
Pater non mittitur, quia <non> originatur; ergo similiter bona  
consequentia est: "Persona mittit, ergo ipsa aliam ex se originat".

---

73 non<sup>2</sup>] *suppl.: om. π*

50 sicut...seipsum<sup>3</sup>] cf. Aug., *De Trin.*, II, 5, 9 (90, 56-67)  
73 Pater...originatur] cf. Aug., *De Trin.*, IV, 20, 27 (195, 5-7)

Sicut enim mitti respicit illum a quo est, ita mittere respicit illum qui est ab eo (correspondent enim sibi secundum rationem actiui et passiu); set Spiritus Sanctus non originat ex se aliquam Personam; ergo Spiritus Sanctus nullam Personam potest mittere. Et per eandem rationem nulla alia potest seipsam mittere cum nulla originetur ex se. 75

[9] Tertio sic: nomen `missionis` translatum est a creaturis ad diuina et tam hic quam ibi de ratione `missi` est autoritate uel uirtute alterius, ut sic aliquid dicere uel facere; set in creaturis missum non habet autoritatem uel uirtutem nisi a mittente; ergo nec in diuinis; set nichil recipitur in diuinis nisi per originem; ergo oportet Personam missam esse originatam a mittente. 80

[10] Quarto, quia missio et processio temporalis sunt penitus idem, ut dictum est supra; set nulli Persone diuine conuenit procedere a se temporaliter; ergo nec mitti. Huic opinioni concordat proprietas modi loquendi et diffinitio `missionis` prius posita, scilicet quod missio est exitus Persone a Persona accipiens ab eo eandem uirtutem ad faciendum aliquid. Sic ergo dicunt ISTI quod `missione` proprie dicta nullo modo Persona mittit se uel aliam que ab ipsa non procedit; large autem loquendo de `missione` pro datione uel qualicumque liberali communicatione Persona potest se ipsam mittere, quia `datio` uel `liberalis communicatio` non sic importat originem dati a dante uel communicati a communicante, sicut `missio` secundum hunc modum qui uidetur rationabilior et ex posterioribus dictis beati AUGUSTINI quasi necessario concluditur. 85

[11] Respondetur ad rationem contrarie opinionis dupliciter. Primum dicendum quod ipsa non concludit de uirtute sermonis, cum non concludat in materia; cum enim que accipit sint communia missioni que est in diuinis et in creaturis et tamen ueritatem non habent in 90

105 creaturis, quia nulla creatura dicitur mitti nisi ab illa a qua recipit  
 auctoritatem uel uirtutem agendi aliquid, consequens est quod non  
 concludat in diuinis de uirtute sermonis.

[12] Secundo respondetur explicando specialius defectum rationis sic  
 quod ubicunque predicatur unum coniunctum de alio, quod dicitur  
 ipsum facere sufficit quod uerificetur tantum pro altera parte,  
 110 quando partes illius coniuncti sic se habent quod ex ipsis fit unum  
 secundum subiectum, sicut ex materia et forma uel sicut ex subiecto  
 et accidente. Et causa est quia cum in factione subiectum supponatur  
 quod maneat unum et idem in tota transmutatione faciens, non  
 causat nisi formam supposita materia. Et secundum istum modum  
 115 uerum est quod Persona uel tota Trinitas facit de nouo animam  
 gratam, licet anima fiat de nouo. Vbi autem predicatur aliquod  
 coniunctum tale cuius partes non faciunt unum subiecto, non  
 uerificatur locutio pro altera parte, sicut contingit uideri in omnibus  
 que agunt mediante instrumento ex quo cum effectu non fit unum  
 120 secundum suppositum; quotiescunque enim per locutionem  
 denotatur habitudo agentis principalis ad effectum per  
 instrumentum, non sufficit quod agens principale habeat solum  
 auctoritatem super effectum, set super instrumentum, ut si dicatur sic:  
 faber extendit ferrum per malleum; sicut autem malleus recipit  
 125 uirtutem agendi a principali agente, sic oportet, ut uidetur, quod  
 Persona missa, cum sit media inter Personam mittentem et ultimum  
 effectum, recipiat uirtutem a Persona mittente, quod non fit nisi per  
 originem; ergo oportet Personam missam originari a Persona  
 mittente.

130 [12] Et confirmatur, quia si Personam mittere est tantum causare  
 effectum in creatura ratione cuius Persona dicitur | nouo modo  
 π52va inhabitare creaturam, Personam mitti erit precise effectum causari

aliquem in creatura ratione cuius Persona dicatur nouo modo esse in creatura.

[14] Set hoc non est uerum, quia tunc mitti conueniret Patri cum per aliquos effectus in creatura productos Persona Patris de nouo demonstrata fuerit, ut in uoce audita super Christum in baptismo et in transfiguratione; set Pater nunquam dicitur fuisse missus; ergo mitti non solum effectum in creatura causari; quare nec mittere est solum effectum in creatura causare, set est causare in creatura effectum mediante Persona a mittente producta, et mitti est causare talem effectum per uirtutem a mittente receptam. 135 140

[15] Ad rationes principales. Ad primam cum dicitur quod Filium cognosci esse a Patre est ipsum mitti, dicendum quod dictum AUGUSTINI non comprehendit quicquid pertinet ad rationem `missionis`, set tantum illud quod consequitur ad missionem, quia per effectum causatum in creatura a Persona missa per uirtutem quam habet a Persona mittente per quandam appropriationem possumus deuenire in cognitionem originis illius persone que dicitur mitti; mittitur enim Filius cum in creatura rationali sit donum sapientie, Spiritus autem Sanctus dicitur mitti cum dono charitatis, quia sapientia appropriatur Filio, qui procedit ut uerbum uel notitia, charitas autem appropriatur Spiritui Sancto, qui procedit ut amor; nec oportet quod omnis Persona que habet autoritatem super effectum istum sit mittens, cum in hoc non comprehenditur ratio `missionis`, set illa sola mittit que autoritatem habet super Personam que mittitur et super effectum missionis. 145 150 155

[16] Ad secundum dicendum est quod illud uerbum YSAIE 48<sup>o</sup> ad literam intelligitur de missione Prophete, ut QUIDAM exponunt. Et

---

159 exponunt Et] cf. Thom., *Super Is.*, 48 (200, 116)

- 160 ideo non habet locum in proposito. Quod si secundum *Glossam*  
intelligatur de Christo secundum allegoriam, tunc est dicendum quod  
triplex est missio Filii, scilicet in carnem, in mentem et ad  
predicationem; due prime missiones conueniunt Filio quo ad  
Personam et naturam diuinam et secundum eas proprie loquendo  
165 non mittitur Filius nisi a patre, tertia autem missio, scilicet in  
predicationem, conuenit Filio secundum naturam humanam, super  
quam habet Spiritus Sanctus autoritatem, et ex consequenti super  
Filiam ratione humane nature, et etiam Filius secundum naturam  
diuinam habet autoritatem super seipsam secundum humanam;  
170 propter quod secundum hanc missionem, scilicet ad predicandum,  
misit Spiritus Sanctus Filium et Filius seipsum. De hac loquitur  
YSAIAS ubi supra et alibi in eodem libro capitulo 61<sup>o</sup> habetur  
expressius: *Super me Spiritus Domini, eo quod unxit me ad annuntiandum*  
*mansuetis, me misit.*
- 175 [17] Ad tertium patet solutio ex iam dictis; aliud enim est dare, aliud  
mittere proprie; unde quelibet Persona potest dare seipsam et illam  
que ab ipsa non procedit, mittere autem non, et causa dicta fuit.

#### Questio quarta

##### Vtrum missio inuisibilis Filio competat

[1] Quarto queritur utrum missio inuisibilis competat filio. Et uidetur

---

165 in] *ani.*: sed  $\pi$  172 habetur] *scr.*: 41  $\pi$  4 inuisibilis] *scr.*: misio  $\pi$

---

173 *me*<sup>1</sup>...175 17] *Is.*, 61, 1 2 *missio*...] cf. Thom., *Super Ser.*, I, 15, 4, 1  
(349-352); *S.th.*, 43, 5

quod non, quia Persona diuina non mittitur proprie nisi cum donis gratie gratum facientis; set dona pertinentia ad intellectum, ut sapientia et scientia, que appropriantur Filio, non sunt gratum facientia cum sint communia bonis et malis, ut habetur I C o r . 13: *Si habuero omnem scientiam* etc.; ergo Filio non competit inuisibiliter mitti. 5

[2] Item si Filius mitteretur missio eius esset distincta a missione Spiritus Sancti, sicut et Persone distincte sunt; set hoc non est possibile, quia diuersarum missionum non est idem terminus; diuine autem missionis inuisibilis est tantum unus terminus, scilicet sanctificatio creature; ergo est tantum una inuisibilis missio. Constat autem Spiritus Sanctus inuisibiliter mitti; ergo hoc modo non mittitur Filius. 10 15

[3] In contrarium est quod dicitur Sap. 10<sup>o</sup>: *Mitte illam*, scilicet sapientiam genitam, *de celis* etc.

[4] Responsio. Hic sunt tria uidenda: primum est quid sit inuisibilis missio; secundum qualiter competit Filio; tertium est quomodo inuisibilis missio Filii se habeat ad inuisibilem | missionem Spiritus Sancti. Quantum ad primum sciendum quod ratio `priuationis` sumitur ex habitu; cum ergo inuisibile priuatiue se habeat ad uisibile ex ratione uisibilis missionis, sumenda est ratio `missionis inuisibilis`. `Missio` autem absolute dicta est exitus Persone a Persona ad causandum aliquem effectum in creatura per quem possumus per modum cuiusdam apparitionis manuduci in notitiam Persone misse, ut dictum fuit prius. Super hanc `missionem` absolute dictam addit `missio uisibilis` signum uisibile exterius inuisibilis missionis, interius manifestatiuum, sicut fuit columba super Christum in suo baptisate apprens et lingue ignee apprens super Apostolos, de quibus 20 25 30

---

8 Si...scientiam] cf. Paul., *I Cor.*, 13, 2 17 Mitte...celis] *Sap.*, 9, 10



postea plura dicentur. Per priuationem autem huius signi exterioris  
uisibilis dicitur `missio inuisibilis', que non est aliud quam missio  
Persone a Persona ad sanctificandum creaturam solo interiori opere  
35 absque signo exteriori uisibili. Et sic patet primum.

[5] Circa secundum intelligendum est quod missio inuisibilis  
competit Filio sicut Spiritu Sancto. Quod patet primo <sic>: sicut  
dona perficientia uoluntatem appropriantur Spiritui Sancto, sic dona  
perficientia intellectum appropriantur Filio (Filius enim procedit per  
40 modum intellectus, sicut Spiritus Sanctus per modum uoluntatis); set  
Spiritus Sanctus dicitur mitti inuisibiliter cum alicui dantur dona  
perficientia uoluntatem absque signo uisibili, ut charitas uel aliquid  
tale; ergo Filius dicitur mitti inuisibiliter cum absque signo uisibili  
dantur alicui dona perficientia intellectum, ut sapientia uel  
45 huiusmodi; ergo Filio conuenit inuisibilis missio, sicut Spiritui  
Sancto.

[6] Secunda sic: Persona diuina mittitur secundum dona gratie et  
glorie; set secundum dona glorie mittuntur quantum ad dona  
intellectus et uoluntatis que appropriantur Filio et Spiritui Sancto;  
50 ergo consimiliter mittuntur Persone diuine, scilicet <Filius> et  
Spiritus Sanctus secundum dona gratie perficientia tam intellectum  
quam uoluntatem.

[7] Quantum ad tertium sciendum est quod has duas missiones  
possumus comparare dupliciter: uno modo quantum ad realem  
diuersitatem; alio modo quantum ad actualem separationem. Primo  
55 modo planum est eas differre realiter, quia `missio' duo includit,  
scilicet exitum Persone a Persona et effectum causatum in creatura;  
et quantum ad utrumque missio Filii differt realiter a missione

---

37 sic] *suppl.: om. π* 44 sapientia] *scr.: sapientis π* 50 Filius] *suppl.: om. π*

Spiritus Sancti, quia generatio qua Filius exit a Patre est alia a processione Spiritus Sancti qua exit ab utroque. Similiter donum quod perficit intellectum, ut sapientia, secundum quod attenditur missio Filii, est aliud a dono quod perficit uoluntatem, puta a charitate, secundum quod attenditur missio Spiritus Sancti; ergo missio Filii simpliciter est alia a missione Spiritus Sancti. 60

[8] Si autem comparentur quantum ad actualem separationem, sic dicendum est quod una missio nunquam est sine alia. Cuius ratio est quia amor supponit notitiam et perfectus amor perfectam notitiam; ergo dona amoris, secundum que mittitur Spiritus Sanctus, supponunt dona notitie, secundum que mittitur Filius; nunquam ergo mittitur Spiritus Sanctus sine filio. 70

[9] Item notitia boni perfecti, in quo nulla est ratio mali, necessitate ducit in amorem perfectum; set dona secundum que mittitur Filius pertinent ad notitiam boni perfecti, in quo nulla est ratio mali; ergo ipsa inducunt in amorem perfectum, qui non est sine donis secundum que mittitur Spiritus Sanctus; non mittitur ergo Filius inuisibiliter sine Spiritu Sancto nec econuerso. 75

[10] Ad primum argumentum dicendum quod dona pertinentia ad intellectum secundum que mittitur Filius sunt dona gratie gratum facientis, non per essentiam, set per inseparabilem concomitantiam, ut dictum est; unde secundum illa dona intellectus que possunt esse sine gratia, ut fides informans, prophetia et scientia, non dicitur mitti Filius nisi ualde imperfecte, set solum cum illis que necessario coexigunt gratiam, ut sapientia, prout est donum, et consimilia. 80

[11] Ad secundum dicendum quod sanctificatio creature una est inquantum uni ultimo fini, scilicet Deo, creaturam coniungit, tamen 85

---

60 processione] *om.*: processio  $\pi$

multa requirit secundum duas potentias secundum quas Deo coniunguntur, scilicet intellectum et uoluntatem, secundum quarum perfectiones diuersas diuerse sunt missiones Filii et Spiritus Sancti, licet semper sint simul, ut uisum est.

π53ra | [12] Ex hiis patet ad quos facta sit inuisibilis missio, quia ad omnes qui receperunt effectum gratie sanctificantis uel glorie beatificantis. Quod patet sic: missio et processio temporalis uidentur esse idem realiter, ut supra dictum est; set processio temporalis proprie et perfecte attenditur secundum dona gratie et glorie tantum et non  
 95 secundum dona nature nisi secundum quid et imperfecta, ut prius ostensum est; ergo idem est de missione; ad omnes ergo bonos facta est missio, siue sint homines siue angeli; et secundum gradus beatitudinis fuerunt gradus missionis donorum quibus beatificati sunt plenissime; ergo facta fuit missio ad Christum in instanti  
 100 conceptionis sue, quo plenissime beatificatus fuit secundum superiorem partem anime, aliis autem differenter secundum gradum beatitudinis sue, uiatoribus autem sic cum donis gratuitis uel cum augmento eorum; aliter enim generalius et plenius facta est missio tempore reuelate gratie quod est tempus plenitudinis quam in Veteri  
 105 Testamento, licet ad quasdam excellentes personas Veteris Testamenti facta fuerit, ad nullas tamen plura et perfecta.

## Distinctio 16<sup>a</sup>

### Diuisio litere huius distinctionis

*Nunc de Spiritu Sancto.* Superius determinauit de missione temporali Spiritus Sancti et missione generali; hic uero determinat spirituales modos. Et diuiditur in duas: primo determinat de missione Spiritus Sancti uisibili; secundo de inuisibili, 17<sup>a</sup> distinctione: *Iam nunc accedamus.* Prima est presentis lectionis et diuiditur in tres partes: primo proponit suum intentum; secundo comparat missionem Filii; tertia determinat quoddam incidens. Secunda ibi: *Set prius querendum est.* Tertia ibi: *HILARIUS autem uidetur dicere.* Et hec est diuisio MAGISTRI in ista lectione in generali.

[2] In speciali uero sic procedit MAGISTER et proponit primo quod duplex est missio Spiritus Sancti, sicut et Filii, una uisibilis, alia inuisibilis. Et subdit quod uisibilis missio Spiritus Sancti est apparitio uel manifestatio in corporali creatura, in qua creatura est Spiritus Sanctus sicut in signo. Demum queritur cur Filius ratione temporalis missionis dicatur Patre minor et non Spiritus Sanctus. Et respondet quod hoc ideo est, quia Filius assumpsit creaturam in qua apparuit per personalem unionem, non sic autem Spiritus Sanctus. Et subdit quod Filius per illam temporalem missionem uisibilem et a seipso et a Spiritu Sancto et ab angelis est minoratus. Vltimo dicit secundum

---

8 presentis] *ami.*: principalis  $\pi$

4 Nunc...Sancto] Lomb., 138, 4 | Superius...generali] cf. Lomb., 130, 25 - 137, 30 7 Iam...accedamus] Lomb., 141, 25-26 10 Set...est] Lomb., 139, 10 11 Hilarius...dicere] Lomb., 141, 7 13 proponit...15 inuisibilis] cf. Lomb., 138, 3-12 15 Et...17 signo] cf. Lomb., 138, 13 - 139, 8 17 Demum...22 minoratus] cf. Lomb., 139, 9 - 141, 5 22 Vltimo...25 sunt] cf. Lomb., 141, 6-22; Hilar., *De Trin.*, IX, 54 (432, 24 - 433, 35)

HILARIUM quod licet Pater sit maior Filio propter autoritatem, Filius tamen non est minor Patre propter unitatem nature quam habet cum Patre; uerba tamen ista sane intelligenda sunt. Et in hoc stat  
25 sententia, etc.

### Questio prima

#### Vtrum Spiritui Sancto competat uisibilis missio

- [1] Circa distinctionem istam queritur primo de missione uisibili per  
5 comparationem ad Personam missam, scilicet utrum Spiritui Sancto competat uisibilis missio. Et uidetur quod non, quia Filius propter naturam, in qua uisibiliter missus est, dicitur minor Patre, IOANNIS 14<sup>o</sup>: *Pater maior me est*; set Spiritus Sanctus nunquam dicitur minor Patre; ergo nunquam fuit uisibiliter missus.
- 10 2 Item per missionem persona diuina est nouo modo in creatura, set Spi. san. non fuit nouo modo in creaturis illis, in quibus uisibiliter apparuit, fuit enim tantum in illis secundum modum, quo est communiter in omnibus rebus, scilicet per essentiam presentiam, et potentiam, ergo non dicitur in illis uisibiliter missus.
- 15 [3] Si dicatur quod fuit in illis nouo modo, quia sicut in signo, contra ratio sacramenti est quod in ipso sit Deus sicut in signo uisibili; ergo si propter esse in aliquo sicut in signo diceretur missio uisibilis, tunc in collatione cuiuslibet sacramenti esset uisibilis missio; quod non est uerum; ergo nec illud ex quo sequitur.

---

2 Vtrum...missio] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 16, 1, 1 (369-372); *S.th.*, I, 43, 7  
8 Pater...est] Ioh., 14, 28

- [4] Item in Veteri Testamento fiebant apparitiones diuinarum Personarum, non solum Filii et Spiritus Sancti, set Patris; sicut enim dicit AUGUSTINUS De Trinitate: *Temerarium enim est | dicere quod pater non apparuerit patribus*; set Pater nunquam legitur missus; ergo similiter Spiritus Sanctus propter signum in quo uisibiliter apparuit non potest dici missus uisibiliter. 20 π53rb 25
- [5] In contrarium est quod dicit Saluator IOANNIS 16<sup>o</sup>: *Cum uenerit Paradetus, quem ego mittam uobis*, et loquitur de missione uisibiliter facta in Pentecoste, Actuum 2<sup>o</sup>, de qua rursus dicitur. I PETRI 1<sup>o</sup>: *Euangelizauerunt uobis Spiritu Sancto de celo misso*; adhuc autem sunt multe autoritates in litera. 30
- [6] Responsio. Hic sunt tria uidenda: primum est quid sit uisibilis missio; secundum est propter quid fiat uel ad quid sit utilis; et tertio apparebit ex hiis principale propositum. Quantum ad primum sciendum est quod missio uisibilis super missionem absolute dictam addit signum uisibile, ut dictum fuit in precedente distinctione. Cum ergo de ratione missionis absolute sumpte sit exitus Persone a Persona ad aliquid causandum in creatura, hec omnia includit missio uisibilis et cum hoc uisibile signum ratione cuius tota missio dicitur uisibilis. Ex quo potest colligi differentiam inter apparitionem et uisibilem missionem. `Apparitio` enim dicit solam manifestationem Persone diuine per signum uisibile, unde conuenire potest cuilibet Persone diuine, etiam Patri, ut allegatum est in arguendo; `missio` autem uisibilis dicit id ipsum et cum hoc exitum Persone a Persona 35 40

---

39 differentiam] *an scrib. differentia?*

22 Temerarium...patribus] cf. Aug., *De Trin.*, II, 17, 32 (123, 132-134)

26 Cum...uobis] Ioh., 15, 26 28 Actuum 2<sup>o</sup>] cf. *Act.*, 2, 1-4

29 Euangelizauerunt...misso] I Petr., 1, 12 | sunt...litera] cf. Aug., *De Trin.*, II, 5, 10 (93, 117-131) 34 missio...uisibile] cf. supra, I, 15, 4

ad sanctificandum creaturam; ideo non competit nisi Personis ab alio  
 45 existentibus, ut sunt Filius et Spiritus Sanctus, quorum uterque  
 uisibiliter missus est: Filius quidem in natura assumpta, ut dicit  
 APOSTOLUS Gal. 4<sup>o</sup>: *At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium*  
*suum* etc.; Spiritus uero Sanctus in columba super Christum  
 apparente et linguis igneis apparentibus super Apostolos, et quam  
 50 pluribus aliis signis uisibilibus, et hoc totum propter sanctificationem  
 creature rationalis, ut postea magis dicitur. Et sic patet primum.

[7] De secundo est intelligendum quid omnis missio tam uisibilis  
 quam inuisibilis est propter gratiam. Est autem duplex gratia, scilicet  
 personalis et causalis seu uniuersalis: personalis respicit personam  
 55 secundum seipsam; secunda uero respicit personam in ordine ad  
 aliam. Ad primam ordinatur missio inuisibilis, que est ad solam  
 sanctificationem creature cui fit missio; propter secundam fit missio  
 uisibilis, quia per signum uisibile significatur quod in eo cui fit missio  
 fit gratia, ut potens in alios redundare per eorum predicationem uel  
 60 ministerium; ideo Christo primo et post modum Apostolis uisibilis  
 missio Spiritus Sancti facta est, quia per eos gratia diffundenda erat  
 in alios et ecclesia plantanda, et hoc fuit expediens.

[8] Quod patet primo sic: fides est de transcendentibus naturalem  
 rationem; decuit ergo ut predicantibus fidem crederetur, quod  
 65 doctrina eorum et autoritas docendi per aliquod transcendens  
 rationem naturalem confirmaretur; hoc autem factum est per  
 missionem uisibilem; ideo missio uisibilis fuit utilis; fuit enim quasi  
 quoddam argumentum confirmans doctrinam fidei.

[9] Secundo sic: maiorem manifestationem requirit gratia secundum

---

47 At...suum] Paul., *Gal.*, 4, 4 48 Spiritus...Apostolos] cf. *Luc.*, 3, 22; *Act.*, 2,  
 3

redundantiam quam gratia secundum sufficientiam, seu causalis et 70  
 uniuersalis quam gratia personalis; set ad gratiam personalem sufficit  
 uisibilis missio, que intus latet; ergo gratia secundum redundantiam,  
 que est causalis uel uniuersalis, requirit plus, scilicet signum sensibile;  
 quod patet. Et hoc de secundo.

[10] Ex hiis apparet tertium faciliter, scilicet quod uisibilis missio 75  
 competit Spiritui Sancto, sic: ecclesiastica hierarchia exemplata est a  
 celesti; set in celesti hierarchia per superiores illuminantur et  
 instruuntur inferiores; ergo similiter in ecclesiastica per superiores  
 illuminari debent et instrui inferiores; propter quod ad significandum  
 misterium gratie acceptum a talibus conuenienter debuit apparere per 80  
 signum huius ministerii ostensuum, quod factum est in missione  
 uisibili Spiritus Sancti.

[11] Ad primum argumentum dicendum quod Spiritus Sanctus  
 propter missionem uisibilem non dicitur minor Patre, Filius tamen  
 propter naturam assumptam dicitur minor Patre. Cuius ratio est quia 85  
 quandocunque aliqua duo sunt unum in supposito, unum potest de  
 alio predicati | in concreto et communicant sibi suas proprietates π53va  
 denominatiue; nunc est ita quod Filius assumpsit naturam humanam  
 in unitate suppositi; et ideo uerum est dicere quod homo est Deus et  
 Deus est homo, et sicut homo est minor Deo, sic potest dici quod 90  
 Filius in quantum homo est minor Patre et seipso in quantum est  
 Deus, set Spiritus Sanctus nunquam assumpsit creaturam, in qua  
 apparuit in unitate Persone, set semper fuerunt distincta secundum  
 supposita; propter quod ratione illius creature Spiritus Sanctus non  
 potest dici minor Patre, sicut Filius ratione humane nature, quam in 95  
 unitate suppositi assumpsit.

---

81 ministerii] *an scrib.* misterii?



[12] Ad secundum dicendum quod Persona diuina dicitur nouo modo esse in creatura uisibili, sicut in signo manifestatio inuisibilis missionis. Et quod opponitur de sacramentis, dicendum quod signa missionis non sunt preexistentia, set ad specialiter facta, res autem sensibiles sacramentales preexistunt; preterea sacramentum est signum gratie mediante humano ministerio, non sic autem signa missionis; adhuc in sacramentis non semper confertur gratia (potest enim recipiens sacramentum ponere obicem gratie), set in missione uisibili semper absque aliqua ambiguitate gratia est in illo ad quem fit missio, non solum per se, set ut potens in alios redundare.

[13] Ad aliud patet solutio ex dictis: differunt enim apparitio et missio, quia missio uisibilis ultra apparitionem includit exitum Persone a Persona, quod Patri non conuenit; et ideo Pater nunquam legitur missus, licet apparuerit quandoque.

#### Questio secunda

Vtrum missio Spiritus Sancti uisibilis debuerit fieri ad Christum

[1] Secundo queritur de missione uisibili per comparisonem ad illos quibus facta fuit. Et uidetur quod non debuit fieri ad Christum, quia exterior missio signum est interioris missionis inuisibilis; set ad Christum non fuit facta inuisibilis missio nisi forte in instanti sue conceptionis; ergo postea non debuit fieri ad ipsum uisibilis.

[2] Item uidetur quod deberet fieri ad prelatos nostri temporis, quia missio fit ad denotandum redundantiam gratie in aliquo ut redundet

---

2 Vtrum...Christum] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 16, 1, 1 (369-372); *S.th.*, I, 43, 7

in alios per eius ministerium uel doctrinam; set prelati moderni habent officium diffundendi gratiam in alios per predicationem, sicut habebant in primitiua ecclesia; ergo ad eos deberet fieri missio uisibilis, sicut antiquitus fiebat.

[3] In contrarium est quia facta fuit super Christum in specie columbe, LUCE 3°, super Apostolos in linguis ignis, Actuum 2°; modo sic nihil tale fit. 15

[4] Responsio. Ex fine sumenda est ratio eorum que sunt ad finem; finis autem missionis uisibilis est cognitio plenitudinis gratie in aliquo, a quo debet in alios redundare, ut supra dictum est, et fit ut magis ei credatur. Ex hoc apparent tria per ordinem. Primum est quod missio uisibilis non debuit fieri ante aduentum Christi, et hoc sic: signum plenitudinis gratie non debuit dari ante tempus plenitudinis; set tempus plenitudinis gratie incepit in aduentu Christi, ut patet per APOSTOLUM Ad Galatas 4°; ergo ante aduentum Christi non debuit fieri missio uisibilis, que est signum plenitudinis gratie in Christo ad quem fit; et hinc dicit AUGUSTINUS IV De Trinitate quod licet Filius et Spiritus Sanctus in Veteri Testamento apparuerint, tamen nunquam leguntur uisibiliter missi. 20

[5] Secundum est quod missio uisibilis modo non debet fieri. Cuius ratio est quia illius cuius probatio semel facta est non oportet probationem iterari, set ex suppositione eius procedere; set uisibilis missio erat quasi argumentum probans et confirmans doctrinam fidei (fiebat enim ut crederetur illis quibus incumbabat fidei doctrina; quod fuit ualde necessarium ad fundandum ecclesiam et ideo tunc fiebat); nunc autem non oportet hanc probationem iterari, set ex eius 25 30 35

---

15 facta...ignis] cf. Luc., 3, 22; Act., 2, 3 19 finis...redundare] cf. supra, I, 16, 1, [8]-[9] 24 tempus...Christi] cf. Paul., Gal., 4, 4 28 licet...missi] cf. Aug., De Trin., IV, 20, 29 (200, 124 - 201, 148)

suppositione procedere, precipue quia loquimur fidelibus, non infidelibus; ideo non indigemus argumentis probantibus fidem; propter quod non oportet sic fieri missionem uisibilem.

π53vb | [6] Tertium est quod non debet fieri missio uisibilis ad aliquam mulierem. Quod patet, quia missio uisibilis fit ad significandum redundantiam gratie in alios per ministerium suum siue per predicationem suam; set mulieri non licet predicare aut docere iuxta illud I Ad Timotheum 2<sup>o</sup>: *Mulierem in ecclesia docere non permitto,*  
45 ergo ad mulierem non debuit fieri uisibilis missio.

[7] Creditur tamen quod beata Virgo fuit inter Apostolos in die Pentecostes, quando facta fuit eis missio Spiritus Sancti in linguis igneis, et ad ipsam tunc cum aliis facta fuit uisibilis missio ex speciali priuilegio, quia quo ad naturam corporis aliquo modo unum erat  
50 cum illo per quem gratia et ueritas facta est et in omnem terram diffusa.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod missio uisibilis signum est missionis inuisibilis, non solum pro tunc facte, set uel tunc facte uel prius; fit enim ut credatur illi ad quem fit in ipso, et per ipsum in  
55 alios diffundenda; et ideo facta est Christo pro tempore quo debuit per ipsum gratia in nos diffundi, et non in instanti sue conceptionis, quando facta fuit ad eum missio inuisibilis.

Ad secundum patet solutio ex dictis in corpore solutionis.

60

### Questio tertia

---

44 Mulierem...permitto] Paul., *I Tim.*, 2, 12; cf. *I Cor.*, 14, 34  
46 beata...Pentecostes] cf. *Act.*, 1, 14

Vtrum species in quibus apparuit Spiritus Sanctus  
 fuerint res uere

- [1] Tertio queritur de missione uisibili quantum ad species in quibus  
 facta fuit et queritur utrum fuerint uere res. Et uidetur quod sic, quia  
 spiritum ueritatis non decet aliqua fictio; set Spiritus Sanctus est  
 spiritus ueritatis, IOANNIS 15<sup>o</sup>; ergo non decet quod appareat per  
 aliquas species que non sunt uere res. 5
- [2] Item idem iudicium uidetur de omnibus speciebus que fuerunt in  
 apparitionibus uisibilibus; set constat quod uox que audita fuit super  
 Christum baptizatum et transfiguratum fuit uera uox (alioquin non  
 uere immutasset auditum); ergo similiter columba que apparuit fuit  
 uera columba, et sic de aliis. 10
- [3] In contrarium est quia uerus ignis uere comburit, nisi per  
 miraculum impediatur, sicut legitur factum de tribus pueris,  
 DANIELIS 3<sup>o</sup>; set lingue ignee que apparuerunt Apostolis non  
 combusserunt aliquid, nec SANCTI dicunt in hoc fuisse miraculum;  
 ergo non fuerunt uere res; quare nec alie species per eandem  
 rationem. 15
- [4] Circa questionem istam uidenda sunt duo: primum est in quibus  
 speciebus facta fuit uisibilis missio; secundum est de illis speciebus  
 utrum fuerint uere res an non. Quantum ad primum sciendum est  
 quod ex fine sumenda est ratio eorum que sunt ad finem; finis autem  
 missionis uisibilis est cognitio plenitudinis gratie in aliquo a quo 20

2 Vtrum...uere] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 16, 1, 3 (375-378); *S.th.*, I, 43, 7  
 7 Spiritus...ueritatis] cf. Ioh., 15, 26 11 uox...uox] cf. Luc., 3, 21-22; 9, 34-36  
 16 legitur...pueris] cf. Dan., 3, 23 et 88 24 finis...26 redundare] cf. supra, I,  
 16, 1, [8]-[9] et 16, 2, [4]

debet in alios redundare, ut supra dictum est. Ex quo potest sumi ratio quare in determinatis speciebus facta est uisibilis missio hoc modo: gratia potest redundare ab aliquo in aliquos dupliciter, uno modo effectiue, alio modo per instructionem, et utroque modo

30 Christus diffudit in nos gratiam, effectiue quidem et per modum autoritatis in quantum Deus, et per modum meriti in quantum homo.

[5] Et ad denotandum hanc redundantiam facta fuit uisibilis missio super Christum baptizatum in specie columbe, que est animal fecundum ualde, quia tunc ipse nichil accipiens a baptismo *tactu sue*

35 *mundissime carnis uim regeneratiuam contulit aquis*, ut dicit BEDA. Christus etiam per doctrinam et predicationem diffundit in nos gratiam; propter quod facta fuit super eum missio uisibilis in nube lucida, cuius est spargere lumen suum, sicut est doctorum diffundere lumen doctrine. Et ideo tunc uox Patris intonuit super eum dicens: *Hic est*

40 *Filius meus dilectus; ipsum audite*. Nec oportuit missionem fieri ad Christum in instanti sue conceptionis, set tunc solum, quando gratia debuit per eum in nos modis predictis redundare.

[6] Per Apostolos autem gratia erat diffundenda dupliciter: uno modo per administrationem sacramentorum; alio modo per

45 predicationem eorum. Ratione primi facta fuit missio uisibilis ad eos in specie flatus, IOANNIS 20° ad insinuandum | diffusionem gratie per eos faciendam per administrationem sacramentorum; unde tunc dictum est eis: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; ut ergo denotaretur quod talis autoritas non deueniat ad eos nisi ab influxu

π54ra

50 capitis, scilicet Christi, facta est missio in speciem flatus a Christo

---

26 sumi] *sr.*: summi π 33 baptizatum] *sr.*: batizatum π

---

34 tactu...aquis] cf. Beda, *In Luc.*, 3, 21 (83, 2538-2544); Lomb., *Sent.*, IV, 3, 5 (248, 10-11); *Glossa ord.*, \*\*\* 39 Hic...audite] *Luc.*, 9, 35; cf. *Matt.*, 3, 17 et 17, 5 45 fuit...flatus] cf. *Ioh.*, 20, 22 48 Quorum...eis] *Ioh.*, 20, 23

procedentis, de quo tamen an fuerit proprie missio, adhuc aliquid dicitur. Ratione autem secundi, scilicet ad denotandum diffusionem gratie per eos faciendam per modum doctrine, facta est ad eos uisibilis missio in die Pentecostes in linguis igneis ut essent *uerbis profliui et diuinitate feruidi*, suam et aliorum salutem zelantes, et sic patet ratio quare in predictis facta est missio uisibilis, scilicet in columba, in nube lucida, in linguis igneis et in flatu. 55

[7] Quantum ad secundum, uidelicet utrum si ille species fuerint uere res, non potest sciri per certitudinem, cum questio sit de facto (si enim esset de possibilitate, facile esset respondere; potuit enim Spiritus Sanctus apparere in uera columba uel in sola similitudine columbe, et sic de aliis); set quia queritur quid de facto fuerit, sufficit ad hoc dare probabiles persuasiones. 60

[8] Est ergo notandum quod dupliciter aliquid potest dici non uera res: uno modo, quia non est aliquid in re extra, set tantum in ymaginatione; alio modo, quia licet aliquid sit in re extra, non tamen est tale quale apparet. Si intelligatur questio primo modo, sic dicendum est quod ille species fuerunt uere res extra existentes, et non solum in ymaginatione, sicut columba fuit uera res extra et flatus Christi super Apostolos post resurrectionem fuit uerus motus aeris. 65 70

[9] De linguis autem igneis mouet AUGUSTINUS dubitationem II libro De Trinitate [9<sup>o</sup> capitulo de magnis et 16<sup>o</sup> de paruis]. Et uidetur dicere quod non refert dicere quod fuerint uere res extra animam <an> solum in ymaginatione; quod arguit ex modo loquendi Scripture, que dicit quod *apparuerunt illis dispartite lingue* 75

53 eos<sup>1</sup>] *coni.*: eas π 72 9<sup>o</sup>...paruis] *sed.* 74 an] *suppl.*: om. π (*an supplendum uel?*)

54 uerbis...feruidi] Hymn., *Bata nobis gaudia*, 7-8 \*\*\* 71 De...76 ignis] cf. Aug., *De Trin.*, II, 6, 11 (95, 48 - 96, 50) 75 apparuerunt...ignis] Act., 2, 3

*tanquam ignis*; secundum ipsum enim nomen `apparitionis` inuenitur in Scriptura Sacra quandoque pro uisionibus imaginariis et pro uisionibus rerum extra existentium; probabilius tamen tenetur quod ille lingue fuerunt uere res extra animam existentes. Cuius ratio  
 80 est quia ex hoc dicitur uisibilis missio, quia sit sub signo uisibili; set apparitio imaginaria non fit proprie sub signo uisibili; ergo tales res in quibus dicitur facta fuisse uisibilis missio non fuerunt solum in ymaginatione existentes.

[10] Item missio uisibilis fit ad manifestandum aliis quod abundans  
 85 gratia est in illis ad quos fuit uisibilis missio, ut dictum fuit; set istud non esset, nisi species in qua sit missio uisibilis esset uera res extra ymaginationem quam astantes possent uidere ac per hoc perpendere cui facta est missio. Si enim illa species esset solum in ymaginatione illius cui sit missio, astantes non possent perpendere; si autem esset  
 90 in ymaginatione astantium, tum eis fieret missio et non alii, quia eidem sit missio uisibilis et inuisibilis, et sic inuisibilis missio non appareret nisi tantum illi cui fieret, quod est contra finem missionis uisibilis; quare oportet dicere quod ille species fuerunt uere res extra animam existentes.

[11] Si autem intelligatur secundo modo, uidelicet utrum ille species  
 95 fuerint uere res tales quales apparebant, utpote quod columba apparens fuerit uera columba et sic de aliis, dicendum quod uidetur QUIBUSDAM probabiliter quod non, set fuit tantum eius *similitudo ostensa in aliqua materia* que statim expleto misterio *in pristinam*  
 100 *materiam est reuersa*. Et hoc posset sic persuaderi: missio uisibilis fit ad

---

89 si autem] *scr.*: Sautem  $\pi$  90 ymaginatione] *ami.*: imagine  $\pi$  99 misterio] *an scrib.* ministerio? (*cf. Thom, l.c.*: peracto officio)

---

98 non...100 reuersa] *cf. Thom., Super Sent., I, 16, 1, 3, ad 3 (377-378)*

hoc ut credatur illi cui sit missio tanquam habenti ministerium doctrine et predicationis; set magis uel saltem eque creditur ex hoc quod signum uisibile est quedam similitudo ostensa in aliqua materia, sicut si esset res uera qualis apparebat, uerbi gratia si fuisset uera columba que apparuit super Christum, que *peracto officio* auolasset creditum fuisset quod casu aduenisset. Ex hoc autem quod subito apparuit et peracto misterio subito disparuit magis patuit quod esset miraculum; et quamuis uera columba potuit uirtute Dei subito formari et apparere nec uolare, set subito disparere, quod plus ualisset quam sola similitudo columbe, non bene patet. Et ideo magis decuit quod tales apparitiones fierent per rerum similitudines quam per ipsas res, et sic apparitiones bonorum angelorum fiunt in corporibus que uidentur humana et non sunt; non tamen propter hoc | est aliquod mendacium, quia tales apparitiones fiunt non ad ostendendum ueritatem rerum que apparent, set ad aliquod misterium gratie designandum.

[12] Sic in proposito non fuit falsitas nec fictio. Clarum est etiam quod uox tunc audita non fuit uera uox rei animate, ut uidebatur ex eius articulatione, licet fuit uerus sonus similis uoci humane ex determinata percussione aeris formatus.

[13] Ignis autem qui apparuit super Apostolos non uidetur fuisse uerus ignis; talis enim comburit, nisi per miraculum impediatur, ut legitur factum de tribus pueris DANIELIS 3<sup>o</sup>; ignis autem ille nichil combussit, nec in hoc dicunt SANCTI factum fuisse miraculum.

[14] Flatus in quo datus est Apostolis Spiritus Sanctus post

---

101 ministerium] *coni.*: mysterium  $\pi$  106 subito] *coni.*: subiecto  $\pi$  107 misterio] *an scrib. ministerio?* (*cf. Thom., l.c.*: peracto officio)

---

122 per...pueris] *cf. Dan., 3, 23 et 88*



resurrectionem potuit fuisse uera res, qualis tunc apparebat; forte tamen tunc non fuit proprie missio, set collatio cuiusdam potestatis mediante signo uisibili, sicut nunc in sacramentis; unde et eundem modum seruat ecclesia in sacerdotibus ordinandis, in sacramentis  
 130 autem non dicimus fieri uisibilem missionem; quare etc.

[15] ALIIS uero uidetur quod columba que apparuit super Christum baptizatum fuit uera columba. Et hoc expresse tenet AUGUSTINUS in libro *De agone christiano*, ubi dicit sic: *Neque hec ita dicimus ut Dominum Iesum Christum dicamus uerum corpus habuisse, Spiritum autem  
 135 Sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum, set ambo illa corpora esse dicimus et credimus.* Et post predicta uerba AUGUSTINUS subdit: *Sicut non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non oportebat ut falleret Spiritus Sanctus; set omnipotenti Deo, qui uniuersam creaturam ex nichilo fabricauit, non erat difficile uerum corpus columbe sine aliarum colombarum ministerio figurare, sicut  
 140 non fuit ei difficile uerum corpus in utero Marie sine uirili semine fabricare, cum [tamen in] creatura corporea et in uisceribus femine ad formandum hominem et in mundo ad formandum columbam imperio Domini uoluntatique seruiret.*

[16] Ad duo prima argumenta patet solutio qui uult tenere primum modum. Secundum autem tenentes alium modum dicendum est ad  
 145 argumentum in oppositum quod miraculum fuit quod ignis qui sedit super singulos discipulorum nichil combussit.

#### Questio quarta

133 hec] hoc Aug. 136 Augustinus] scr. cum Thoma: Augustini π 141 tamen in] sed.

133 Neque...142 seruiret] Aug., *De agone chr.*, 22, 24 (125, 8-20); cf. Thom., *S.th.*, III, 39, 7, sed contra et resp.

## Vtrum Pater sit maior Filio

[1] Quarto queritur utrum Pater sit maior Filio. Et uidetur quod sic, per dictum HILARII in litera, qui dicit expresse quod *Pater est maior Filio*, licet *Filius non sit minor Patre*. 5

[2] In contrarium est quod dicit ATHANASIVS in Simb o l o quod *in hac Trinitate nichil maius aut minus*.

[3] Responso. In hac questione nulla esset dubitatio nisi propter uerba HILARII que sunt inducta in arguendo. Certum est enim quod proprie loquendo Pater non est maior Filio. Quod patet, quia secundum AUGUSTINUM et ueritatem *in hiis duntaxat bonis que non sunt magna mole idem est maius esse quod melius esse*, set in diuinis non est magnitudo molis; ergo ibi maius esse est melius esse; set in diuinis nichil est altero melius cum omnino sit ibi una summa et infinita bonitas; ergo nichil est ibi maius altero. 10 15

[4] Restat ergo solum exponere uerba HILARII. Propter quorum expositionem dicendum est quod proprie accipiendo `maioritatem` Pater non est maior Filio, ut iam probatum est et adhuc patet ex alio, quia maius et minus sunt species uel differentie inequalitatis; set inter Patrem et Filium est summa equalitas secundum ATHANASIVM in Simb o l o; ergo inter Patrem et Filium non est maius et minus proprie loquendo; accipiendo autem large et improprie `maius` per autoritatem originis sic Pater dicitur, licet improprie, maior Filio, quia a Patre est Filius, licet non econuerso, et eodem modo sane intelligendo Filius posset dici minor Patre, quia caret autoritate 20 25

---

5 Pater...Patre] cf. Hilar., *De Trin.*, IX, 54 (432, 24 - 433, 35); Lomb., 141, 7-8  
 7 in<sup>2</sup>...minus] *Symb. Athanasian.*, 25 (42) 12 in...esse<sup>2</sup>] Aug., *De Trin.*, VI, 8, 9  
 (238, 8-9) 20 inter...equalitas] *Symb. Athanasian.*, 25-26 (42)

originis in Patre, quem tamen Pater habet in Filium. Hoc autem pro tanto improprie dictum est, quia questio de inequalitate maioris ad minus nullo modo proprie potest esse questio originis quis a quo fit, set est questio quantitatis molis uel uirtutis.

30

Ad argumenta utriusque partis patet solutio ex iam dictis.

Distinctio 17<sup>a</sup>

Diuisio litere in generali et speciali

[1] *Iam nunc autem accedamus*. Superius MAGISTER determinauit de missione Spiritus Sancti uisibili; in ista distinctione determinat de eius missione inuisibili. Et diuiditur in duas partes: primo determinat suum intentum ostendendo mentem uel opinionem suam; secundo mouet quasdam incidentes questiones. Secunda ibi: *Hic queritur si charitas*. Prima est presentis lectionis et diuiditur in tres: primo enim ponit suum intentum in generali; secundo prosequitur; tertio confirmat. Secunda ibi: *Hoc autem <ut> intelligibilis*. Tertia ibi: *Ne autem in re tanta*. Et hec ultima diuiditur in quatuor: primo ostendit quod charitas est Deus; secundo specialiter quod charitas est Spiritus Sanctus; tertio excludit quandam responsionem; quarto ostendit quomodo Spiritus Sanctus dicitur dari uel mitti. Secunda ibi: *Cum autem fraterna dilectio*. Tertia ibi: *Set ne forte*. Quarta ibi: *Tunc enim mitti uel dari*. Hec est diuisio et sententia in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et primo ponit quod Spiritus Sanctus *temporaliter* datur uel *mittitur inuisibiliter*. Postea dicit quod *Spiritus Sanctus charitas est qua diligimus Deum et proximum*. Et tunc datur nobis uel mittitur quando facit nos diligere Deum et proximum.

---

7 Hic] *scr. am Lombardo*: Item π 10 Hoc...intelligibilis] *scr. am Lombardo*: Nunc autem intelligimus π | Ne] *scr. am Lombardo*: Nec π 11 tanta] *scr. am Lombardo*: creata π 14 Cum] *scr. am Lombardo*: Tunc π

---

3 Iam...accedamus] Lomb., 141, 25-26 | Superius...uisibili] cf. Lomb., 138, 4 - 141, 22 7 Hic...charitas] Lomb., 146, 12 10 Hoc...intelligibilis] Lomb., 142, 5-6 | Ne...tanta] Lomb., 142, 15 14 Cum...dilectio] Lomb., 143, 23 15 Set...forte] Lomb., 144, 9 | Tunc...dari] Lomb., 145, 2-3 17 Et...inuisibiliter] cf. Lomb., 141, 25 - 142, 3 18 Postea...20 proximum] cf. Lomb., 142, 5-14

Postea ostendit per multas auctoritates AUGUSTINI, quibus probat quod dilectio qua diligimus Deum uel proximum facit nos *manere in lumine*, et quod charitas, sine qua non datur uiuere, Deus est, ut probatur per canonicam IOANNIS. Post ostendit tali ratione quod  
 25 *Spiritus Sanctus charitas est*: maius donum inter dona Dei est Spiritus Sanctus, qui *facit nos manere in Deo et Deum in nobis*; ergo *Spiritus Sanctus est charitas*. Postea excludit quandam rationem; posset enim dicere aliquis quod hoc est per causalitatem, sicut dicitur "Deus est patientia nostra, spes nostra". Et respondet MAGISTER quod non,  
 30 quia sicut dicitur "*Deus est patientia mea*", quod non inuenitur dictum "*Deus charitas mea*", set "*Deus charitas est*". Postea dicit quod Spiritus sanctus datur quando nos facit Deum diligere et proximum. Ostendit etiam quod charitas est excellentior inter omnia dona, quia excellentiores facit effectus; ideo Spiritus Sanctus, qui dicitur donum  
 35 Dei, dicitur ipsa charitas. Et in hoc terminatur sententia istius distinctionis.

#### Questio prima

Vtrum necessarium sit charitatem esse habitum creatum ut homo sit  
 Deo charus

5 [1] Circa distinctionem istam queruntur tria in generali de charitate:

23 quod charitas] *huc transposui: post uiuere π*

21 Postea...24 Ioannis] cf. Lomb., 142, 15 - 143, 20; Aug., *De Trin.*, VIII, 7, 10 (285, 31-34); 7, 11 - 8, 12 (286, 59 - 287, 11); I Ioh., 2, 10 et 4, 7-8 24 Post...27 charitas] cf. Lomb., 143, 23 - 144, 6 27 Postea...31 est] cf. Lomb., 144, 9-28; *Ps.*, 61, 6 et 70, 5 31 Postea...proximum] cf. Lomb., 145, 2-10 33 Ostendit...35 charitas] cf. Lomb., 145, 11 - 146, 9 2 Vtrum...charus] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 1 (391-397); *S.th.*, II-II, 23, 2

primum est de eius de necessitate; secundum de eius augmento; tertium est de eius diminutione. Circa primum queruntur tria: primum est que sit necessitas ponendi charitatem esse aliquem habitum creatum; secundum est utrum detur secundum proportionem naturalium; tertium est utrum habens charitatem possit cognoscere se habere eam. Adhuc circa primum duo queruntur: primum est utrum necessarium sit charitatem esse habitum creatum ad hoc quod homo sit Deo charus; secundum est utrum necessarium sit ponere eam habitum creatum ad hoc ut per eam homo mereatur uitam eternam.

Ad primum sic proceditur. Et arguitur quod necessarium sit charitatem esse habitum creatum in homine ad hoc quod homo sit Deo charus, quia nullus potest effici de non grato gratus uel de non charo charus nisi per aliquam mutationem factam in ipso uel in altero; set homo efficitur de non grato gratus, et non per aliquam mutationem factam in Deo; ergo per aliquam mutationem factam in ipso; set nulla mutatio fieret in homine nisi gratis esset aliquid creatum in ipso; non actus qui transit et homo remanet gratus; ergo habitus.

[2] Item sicut a fide dicitur aliquis fidelis, ita a charitate dicitur charus; set propter primum necessarium est fidem esse aliquid creatum; ergo propter secundum necessarium est charitatem esse aliquid creatum.

[3] In contrarium arguitur quia esse Deo gratum est esse a Deo dilectum; set dilectio Dei est in Deo diligente | et non homine dilecto; ergo ad hoc quod homo sit Deo gratus, non requiritur quod in eo sit aliquid de nouo creatum, nec actus nec habitus.

---

32 creatum] *coni.*: causatum  $\pi$

[4] Responsio. Eadem est necessitas ponere gratiam esse habitum creatum sicut charitatem, et econuerso. Et ideo de utroque deducitur  
 35 questio et sic ad questionem istam dicenda sunt tria. Primum est quod homo potest esse et est Deo gratus et charus antequam habeat gratiam et charitatem sibi formaliter inherenter. Secundum est quod ad esse Deo gratum uel charum non sequitur necessario necessitate absoluta quod homo sit habiturus quandoque gratiam uel charitatem  
 40 sibi formaliter inherenter. Tertium est quod ad esse Deo gratum uel charum sequitur necessario necessitate conditionata, scilicet ex suppositione ordinationis diuine, quod homo sit habiturus quandoque gratiam et charitatem habitualement formaliter inherenter.

[5] Primum patet sic: effectus sequitur suam causam efficientem  
 45 tempore uel natura; set omne bonum habituale quod est uel esse potest in homine est effectiue ab eo quod est esse Deo gratum uel charum; ergo omne bonum habituale, siue gratia siue charitas siue quodcunque aliud, sequitur natura uel tempore id quod est hominem esse Deo gratum uel charum; ergo prius homo natura uel tempore  
 50 est Deo gratus uel charus quam habeat gratiam uel charitatem sibi formaliter inherenter. Maior de se patet. Minor probatur, quia principium cuiuslibet liberalis communicationis est amor (quicquid enim datur homini a Deo datur liberaliter et non aliqua necessitate uel obligatione, ergo datur ex amore); set esse Deo gratum uel  
 55 charum est esse a Deo amatum uel dilectum; ergo quicquid datur homini a Deo est effectiue ab eo quod hominem esse Deo gratum uel charum. Et hec fuit minor; sequitur ergo conclusio quod prius natura uel tempore est homo Deo gratus et charus quam habeat gratiam uel charitatem sibi formaliter inherenter, quod fuit primum  
 60 propositum; illa tamen denominatio esset extrinseca, sicut esse amatum uel dilectum.

[6] Secundum patet, scilicet quod ad esse Deo gratum uel charum non sequitur necessario necessitate absoluta quod homo sit quandoque habiturus gratiam uel charitatem habitualem sibi formaliter inherentem, quia *amare* uel diligere aliquem nichil aliud est quam *uelle* ei *bonum*, ut habetur II Rethoricorum; set Deus potest uelle homini bonum et summum bonum, cuius ipse est capax, scilicet beatitudinem, absque hoc quod uelit ei dare gratiam habitualem uel charitatem quantum est de potentia absoluta, secundum quam Deus potest dare et homo recipere gloriam uel beatitudinem sine gratia habituali preuia; ergo ad esse Deo dilectum uel ad esse Deo gratum uel charum non sequitur ex necessitate absoluta quod homo sit quandoque habiturus gratiam uel charitatem habitualem. Et sic patet secundum.

[7] Tertium patet, scilicet quod ad esse Deo gratum uel charum denominatione extrinseca sequitur ex suppositione diuine ordinationis quod homo sit quandoque habiturus gratiam uel charitatem habitualem secundum quam dicitur formaliter gratus denominatione intinseca, quia dilectio Dei est causa alicuius boni in eo quem diligit, cum diligere sit uelle bonum, uelle autem Dei est causa tantum boni et non causatum ab eo. Inter bona autem quorum dilectio Dei est in nobis causa est ordo ex diuina dispositione, quia cum beatitudo sit finis et terminus nostre peregrinationis et premium nostrarum actionum, sicut uia precedit terminum et meritum precedit premium, sic dona que perficiunt nos pro statu uie ad merendum, ut gratia et charitas, precedunt dona que perficiunt nos ad uidendum et fruendum Deo. Et ideo ex dilectione qua Deus

---

66 II] *scr.*: 1.  $\pi$

---

65 *amare...bonum*] cf. Arist., *Rhet.*, II, 4, 1380b35-36



diligit nos ut capaces sui per uisionem et fruitionem causantur in nobis primum dona uie, que sunt ad merendum, et ultimo dona patrie; inter autem dona uie potissima sunt gratia et charitas quibus  
90 sumus grati et chari denominatione formali intrinseca. Propter quod ad esse gratum uel charum denominatione extrinseca sequitur ex diuina dispositione quod causatur in nobis gratia habitualis et charitas. Quare autem aliquod donum dicatur gratia uel charitas et  
95 non omnia, cum tamen omnia donentur in nobis a Deo ex eius gratuita siue chara dilectione, | [8] ratio est quia quedam perficiunt nos ad hoc ut actus nostri acceptentur a Deo, et quidem ut remunerandi uita eterna, quia hoc est summum bonum quod potest  
π55ra communicari creature, ideo talia dona dicuntur per quamdam excellentiam gratia uel charitas, quia sunt in nobis a Deo, non solum  
100 ex communi dilectione, qua diligit bonos et malos, set ex speciali et chara qua diligit ut filios adoptiuos ad participationem boni quo ipsemet est bonus; alia autem dona, que non ordinant immediate ad tale meritum, nominantur ceteris nominibus secundum actus ad quos  
105 dantur. Est etiam hic notandum quod cum omnis denominatio extrinseca habeat ortum ab illa que est intrinseca, sicut `sanum´ dictum de medicina, dieta et urina ortum habet ex hoc quod animal dicitur sanum formaliter ut subiectum sanitatis, denominatio tamen extrinseca, qua quis dicitur Deo gratus uel charus, hoc est dilectus,  
110 non habet ortum ex denominatione qua homo dicitur gratus uel charus per aliquem habitum inherentem, set potius hec ab illa; habet autem ortum ex hoc quod Deus dicitur chare nos diligens et nos per consequens chare dilecti et dona predicta dicuntur gratia uel charitas.  
[9] Ad argumenta utriusque partis patet responsio ex predictis. Cum

106 `sanum´...108 sanitatis] cf. Arist., *Metaph.*, IV, 2, 1003a34-b1; Thom., *In Metaph.*, IV, 1, 537 (152)

enim dicitur quod nullus potest effici de non grato gratus nisi per  
 aliquam mutationem, concedatur. Et tunc ad minorem dicendum est 115  
 quod quantum ad solam denominationem extrinsecam nullus  
 efficitur de non grato gratus, quia esse sic gratum est esse a Deo  
 dilectum, et hoc est eternum; set effectus huius dilectionis in uia et in  
 patria quantum ad dona gratie et glorie non est eternus; imo 120  
 secundum ea efficitur homo de non grato gratus et talia ponunt  
 aliquem habitum in nobis secundum quem fit in nobis *mutatio dextere*  
*Excelsi*.

[10] Ad secundum dicendum quod non est simile de hoc quod est  
 esse fidelem et de hoc quod est esse gratum uel charum, quia nullus 125  
 dicitur fidelis ex sola denominatione extrinseca, sicut potest dici  
 gratus uel charus ex hoc solo quod est ab alio sic dilectus; et ideo  
 prima denominatio qua quis dicitur esse fidelis arguit in ipso aliquid  
 formaliter ipsum perficiens, siue sit habitus siue actus; set  
 denominatio qua quis dicitur Deo gratus uel charus non requirit 130  
 necessario aliquid formaliter inherens homini per quod dicatur  
 charus uel gratus, set est denominatio extrinseca ex diuina dilectione  
 consurgens, ad quam iuxta diuinum beneplacitum sequitur in nobis  
 aliquid formaliter nos perficiens.

[11] Ad argumentum in oppositum dicendum est quod quamuis 135  
 dilectio Dei non sit in nobis, set in Deo, tamen ex ea fiunt in nobis  
 dona gratie secundum que dicimur grati formaliter denominatione  
 intrinseca per modum inherentie. Et ideo licet esse a Deo dilectum  
 non coexigat necessario gratiam habitualement, ipsa tamen sequitur ad  
 hoc secundum diuinam ordinationem, ut dictum est. 140

---

140 hoc] scr.: hæc π

---

122 mutatio...Excelsi] Ps., 76, 11

Questio secunda

Vtrum necesse sit ponere gratiam habitualement ad merendum

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod non sit  
 5 necessarium ponere gratiam uel charitatem habitualement ad hoc ut  
 mereamur aliquid apud Deum, quia sicut se habet fides ad actum  
 credendi, sic charitas ad actum merendi; set sine fide habituali et  
 infusa potest homo omnia credere; ergo sine charitate habituali et  
 infusa potest homo in actum merendi. Maior patet per simile. Minor  
 10 patet, quia hereticus carens fide infusa credit multos ex articulis et  
 eadem ratione posset omnia credere.

[2] Item actus qui sunt eiusdem speciei in essendo sunt eiusdem  
 efficacie agendo; set actus diligendi Deum ex charitate et actus  
 diligendi Deum sine charitate sunt eiusdem speciei in essendo, ut  
 15 probabitur; ergo sunt eiusdem efficacie in agendo; ergo si unus est  
 meritorius, et alius; et ita charitas non est necessaria ad merendum.  
 Probatio minoris: primo, quia actus precedentes habitus acquisitos  
 sunt similes et per consequens eiusdem speciei cum actibus  
 sequentibus, ut patet ex II *Ethicorum*; et uidetur idem esse de  
 20 actibus precedentibus habitus infusos et de sequentibus | cum tales  
 habitus minus dependeant ex actibus precedentibus nec plures  
 faciant ad actus sequentes; quare etc. Secundo, quia si actus diligendi  
 Deum ex charitate et sine charitate differunt specie, homo posset  
 inter eos clare distinguere, quia non essent similes, et sic homo

π55rb

2 Vtrum...merendum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 109, 5 et 114, 2 17 actus...19  
 sequentibus] cf. Arist., *Eth. Nic.*, II, 1, 1103a31-b25; 3, 1105b9-10

posset scire per certitudinem utrum diligeret Deum ex charitate uel non, et per consequens utrum haberet charitatem uel non; quod nullus dicit. 25

[3] Item si charitas requireretur propter meritum, aut hoc esset propter meritum de congruo uel de condigno, non propter meritum de congruo, quia tali merito peccator, qui caret gratia, meretur suam iustificationem, nec propter meritum de condigno, quia NONNULLI dicunt quod nichil potest apud Deum mereri de condigno; ergo secundum ISTOS uidetur quod gratia uel charitas habitualis non est ponenda in nobis propter aliquod meritum. 30

[4] In contrarium arguitur quia omnis actus uoluntatis sine gratia uel charitate est pure naturalis; si ergo gratia non sit necessaria ad merendum, sequitur uel quod ex puris naturalibus possumus mereri, quod est heresis pelagiana, uel quod nichil omnino possumus mereri, quod iterum est contra fidem. 35

[5] Responsio. OMNES ponunt charitatem increatam, que est Deus, secundum illud I IOANNIS 4<sup>o</sup>: *Deus charitas est*. Item ponunt aliquam charitatem creatam, que potest sumi dupliciter: uno modo pro actu quo diligimus, et hanc OMNES concedunt; uel pro habitu informante uoluntatem et ei inherente, et hanc negat MAGISTER in litera; ponit enim quod gratia existente in essentia anime non est necesse aliquem habitum esse in uoluntate quo eliciatur actus dilectionis meritorie, set ipsum immediate elicit Spiritus Sanctus. Et quia ALIQUI uidentur fulcire hanc opinionem, ideo procedetur sic, quia primo ponetur fulcimentum quo ISTI fulciunt opinionem MAGISTRI Sententiarum et reprobabitur, et secundo respondebitur ad questionem. 40 45 50

---

46 quo] *coni.*: qua  $\pi$

---

41 Deus...est] I Ioh., 4, 8

[6] Quantum ad primum sciendum est quod QUIDAM defendunt opinionem MAGISTRI sic; dicunt enim quod actus charitatis differt ab actu fidei et spei in duobus: primum est quia actus fidei et spei includunt imperfectionem in sua essentia, actus autem charitatis non, licet habeat imperfectionem adiunctam pro statu uie (illa enim imperfectio non est de essentia charitatis); secunda differentia est, que sequitur ex prima, scilicet quod actus fidei et spei non manent in patria, quia includunt imperfectionem. *Cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*, I Ad Corinthios 13<sup>o</sup>; set actus charitatis manet in patria, quia nullam imperfectionem includit.

[7] Ex hoc arguitur sic: perfectus actus elicitur a perfecto agente sine medio; set imperfectus non elicitur a perfecto agente nisi mediante alio; set actus charitatis est perfectior quam actus fidei et spei, qui sunt imperfecti; ergo actus charitatis immediate elicitur a Spiritu Sancto, qui est agens perfectissimum; set actus fidei et spei tanquam imperfecti non eliciuntur a Spiritu Sancto nisi mediantibus habitibus creatis, scilicet fide et spe.

[8] Secundo sic: actus uisionis in patria, qui est perfectus, elicitur immediate a Deo absque specie, in uia autem non propter suam imperfectionem; cum ergo charitatis tam uie quam patrie sit actus perfectus, uidetur quod absque medio actu eliciatur in nobis a Deo uel a Spiritu Sancto tam in uia quam in patria; et ita MAGISTER negat omnem habitum in uoluntate necessarium ad eliciendum actum dilectionis meritorie, supponit tamen gratiam esse in anima; sine gratia autem non est meritum; et licet de hoc non faciat mentionem

---

58 perfectum] *scr. cum Paulo*: imperfectum π

---

58 Cum...est<sup>2</sup>] Paul., I Cor., 13, 10

expressam in loco isto, in II tamen libro hoc expresse dicit in pluribus locis.

[9] Quicquid autem sit de conclusione, rationes tamen iste non ualent: primo, quia effectus qui dependet ex pluribus causis necessario est perfectior quanto unaqueque earum est perfectior; set uelle meritorium secundum ISTOS dependet a Deo sicut a principio effectiuo immediate; constat etiam quod dependet ex nostra uoluntate, saltem sicut a causa subiectiua et recipiente; ergo tanto uelle nostrum est perfectius quanto unumquodque principiorum est perfectius; set uoluntas est perfectior cum habitu | bono et uirtuoso quam sine habitu a quocunque ipsa mouetur; ergo propter perfectionem actus non est tollendus habitus a uoluntate, set potius ponendus. 80  
π55va

[10] Secundo, quia secundum ISTOS uisio patrie, que est perfectissimus actus, licet eliciatur sine specie representante, non tamen sine habitu luminis glorie eleuante intellectum et confortante; ergo perfectio actus non excludit omnem habitum, imo potius ponit et reuera sic est; simili modo enim dubitant quando habitus uirtuosus requiratur ut perficiat potentiam in relatione ad actum; uirtus enim est que habentem perficit et eius opus bonum reddit. 90  
95

[11] Tertio, quia Deus immediate ita est causa imperfectorum sicut perfectorum; causat enim ita immediate materiam primam sicut angelum; ergo differentiam actuum charitatis secundum rationem perfecti et imperfecti non facit quod actus fidei et spei eliciantur a Deo mediantibus habitibus, actus autem charitatis sine habitu. 100

---

93 simili modo] *coni.*: filius π | dubitant] *coni.*: dubitat π

---

76 in<sup>2</sup>...locis] cf. Lomb., *Sent.*, II, 3, 4 (345, 9-11); 5, 3 (352, 15-17); 26, 2 (472, 21-23); 26, 4 (475, 12-14); 27, 3 (482, 21-25); 27, 4 (483, 8-10); 27, 6 (484, 10-20); 27, 7 (485, 16)

[12] Quarto, quia rationes iste concludunt quod ad meritoriam dilectionem non oportet ponere gratiam in uoluntate, set quod faciat totum Spiritus Sanctus immediate; cum ergo gratiam in anima sicut nec gratiam in uoluntate ponant et charitatem negent, uidetur quod  
105 male; et sic patet primum.

[13] Quantum ad secundum primo ponetur quedam distinctio de merito et deinde pertractabitur questio secundum membra distinctionis. Quantum ad primum notandum est quod cum meritum dicatur actio per quam ei qui agit efficitur debitum aliquid dari, sicut  
110 est duplex debitum, ita est duplex meritum: quoddam est debitum de condigno, quando ex natura et conditione operis efficitur homo dignus ut ex iustitia sibi reddatur talis merces propter equalitatem inter opus et mercedem secundum iustam estimationem; aliud est debitum de congruo, quando non debetur talis merces ex natura  
115 operis, set redditur solum ex liberalitate dantis (aliquid enim congruum est liberalem dare quod alius non meruit ex condigno recipere meritum); ergo de condigno respicit debitum primo modo dictum, meritum autem de congruo respicit debitum secundo modo dictum.

[14] Hoc supposito dicendum est quod ad merendum solum de congruo non est necessarium ponere in nobis gratiam uel charitatem habitualem. Quod patet, quia secundum OMNES peccatores carens gratia penitendo meretur de congruo gratiam iustificantem, ut tangebatur in arguendo ad questionem; congruum enim est ut bene  
125 utenti bonis nature propter Deum det Deus bona gratie. Idem patet de gloria; posset enim Deus de potentia absoluta facere quod gloria uel beatitudo caderet sub tali merito. Si enim Christo data est beatitudo anime sine ullo merito, fortiori ratione posset Deus gloriam dare cuicumque homini pro solo opere bono gratia non

informato, ut sicut meremur gratiam per opus non informatum 130  
 gratia, sic meremur gloriam per opus consimile; quemadmodum  
 enim pro consimili actu rex militi quandoque dat equum,  
 quandocumque castrum dat, sic Deus pro eodem opere bono ex  
 genere et circumstantiis posset absque gratia de potentia absoluta  
 dare gloriam siue paradisum tanquam castrum pro quo nunc dat 135  
 gratiam uel charitatem tanquam equum, que nunquam excidit et  
 utrobique esset meritum solum de congruo. Ratio autem omnium  
 istorum est quia meritum de congruo plus innititur liberalitati dantis  
 quam ualori operis. Dare autem gloriam pro opere bono ex genere et  
 circumstantiis pro quo nunc datur gratia iustificans non excedit, imo 140  
 non adequat liberalitatem diuinam; ergo beatitudo uel gloria posset  
 de potentia Dei absoluta cadere sub merito talis operis, sicut nunc  
 cadit gratia, et sic propter tale meritum non est necesse ponere  
 gratiam uel charitatem esse habitum creatum in anima.

[15] De merito autem de condigno est subdistingendum, quia 145  
 quoddam est meritum de condigno dictum proprie et stricte et aliud  
 large. Primum meritum de condigno stricte et proprie sumptum est  
 actio uoluntaria propter quam alicui merces debetur ex iustitia sic  
 quod si non reddatur ille ad quem pertinet reddere, iniuste facit et est  
 simpliciter et proprie iniustus; et tale meritum de condigno inuenitur 150  
 inter homines, set nec est nec esse potest hominis ad Deum, sicut  
 probabitur II distinctione 27<sup>a</sup> et nunc supponatur. |; et ideo propter  
 meritum de condigno, cum sit homini simpliciter impossibile, non  
 est ponendum in nobis gratiam uel charitatem habitualement. Aliud est  
 meritum de condigno large sumptum pro quadam dignitate quam 155  
 Deus ex sua ordinatione rationabili requirit in nobis ad hoc ut opera

---

151 nec<sup>1</sup>...Deum] cf. Lomb., *Sent.*, II, 27, 6 (484, 10-20)



nostra acceptentur a Deo, et quidem ut remunerabilia uita eterna; et propter tale meritum necessarium est ponere in nobis gratiam uel charitatem habitualem. Quod patet auctoritate Sacre Scripture et probabili persuasione.

160

[16] Auctoritates Sacre Scripture, quamuis plures sint, ad presens tamen adducentur due tantum: prima est Vetus Testamentum in Psalmis, ubi dicunt quod *gratiam et gloriam dabit Dominus*; secunda est Rom. 6°, ubi dicitur quod *gratia Dei uita eterna*. Ex quarum qualibet apparet secundum rationabilem intellectum quod gratia preit gloriam secundum ordinationem diuinam nec confertur gloria nisi prius habenti gratiam, que tamen datur principaliter ad merendum secundum illud APOSTOLI I Ad Corinthios 15°: *Plus omnibus laboraui non ego, set gratia Dei mecum*.

165

170

[17] Idem patet probabili persuasione, que talis est: sicut se habet beatitudo supernaturalis ad naturalem, sic se habent ad inuicem illa que perducunt ad utramque beatitudinem; set beatitudo supernaturalis excedit naturalem, quia est per habitum diuinitus infusum, et non ex nostris actibus acquisitum sicut beatitudo naturalis; ergo similiter actus perducentes ad beatitudinem supernaturalem, ut sunt actus meritorii, differunt ab actibus perducentibus nos ad beatitudinem naturalem, quia procedunt a potentiis informatis per aliquem habitum supernaturalem; hic autem habitus est gratia uel charitas; quare requiritur ad merendum gloriam uel beatitudinem ex diuina ordinatione rationabili gratia siue charitas informans animam.

175

180

[18] Et sic patent tria. Primum est quod propter meritum quod est pure de congruo non est necessarium ponere de necessitate absoluta

---

163 gratiam...Dominus] Ps., 83, 12    164 gratia...eterna] Paul., Rom., 6, 23  
169 omnibus...mecum] Paul., I Cor., 15, 10

gratiam uel charitatem habitualement, quia sine eis posset Deus de potentia absoluta acceptare opera nostra bona ex genere et circumstantiis ut remuneranda uita eterna. 185

[19] Item patet secundo quod propter meritum quod est stricte et proprie de condigno, modo quo expositum est, non est possibile ponere gratiam uel charitatem habitualement in nobis, quia homo non potest illo modo mereri aliquid apud Deum. 190

[20] Tertio patet quod propter meritum de condigno non simpliciter et stricte accepto, modo quo supra expositum est, set pro quadam dignitate quam Deus ex sua ordinatione rationali requirit in operibus nostris ad hoc ut remunerentur uita eterna, oportet ponere gratiam uel charitatem habitualement; et illud meritum est de condigno secundum quid: et non simpliciter; est enim tale condignum ex suppositione diuine ordinationis, et non absolute. Huic autem sententiae concordat communis doctrina, que ponit quod *sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est actus iustitie, ita recompensare mercedem uel premium alicuius laboris uel operis est actus iustitie; et ideo in illis in quibus est simpliciter iustum est etiam simpliciter ratio meriti et premii siue mercedis, in quibus autem non est simpliciter iustum, set secundum quid in hiis non est ratio meriti simpliciter, set secundum quid in quantum seruatur ibi iustitie ratio. Inter hominem autem et Deum non potest esse simpliciter iustum, sicut nec equale, set solum iustum secundum quid, scilicet dominatiuum, quia totum quod est hominis bonum est Dei et a Deo, et multo amplius quam actiones serui sunt domini sui in humanis. Propter quod meritum hominis apud Deum non potest esse simpliciter meritum de condigno, set solum secundum presuppositionem diuine* 195 200 205

---

191 non] *i.m.* π 197 autem] *scr.:* au π 203 seruatur] saluatur *Thom.*

---

198 sicut...213 charitatis] cf. *Thom., S.th., I-II, 114, 1, resp.*

210 *ordinationis, ita scilicet ut homo id consequatur a Deo per suam operationem*  
*quasi premium uel mercedem, ad quod Deus ei uirtutem operandi deputauit,*  
 que uirtus operandi ad merendum beatitudinem est non solum  
 potentia uoluntatis, set habitus gratie uel charitatis.

[12] Ad primum argumentum dicendum quod maior propositio  
 215 debet sic sumi quod sicut se habet fides ad actum credendi, sic  
 charitas ad actum diligendi; et tunc bene concluditur quod sicut sine  
 fide infusa potest homo | in Deum credere, sic sine charitate infusa  
 π56ra potest homo Deum diligere; set neuter actus est meritorius de  
 condigno, quia tale meritum ex diuina ordinatione supponit gratiam  
 uel charitatem.  
 220

[22] Ad secundum dicendum quod actus nostri possunt considerari  
 tripliciter: uno modo secundum esse nature, alio modo secundum  
 esse moris quo sunt boni uel mali moraliter, tertio modo secundum  
 esse meritorium de quo nunc agitur; et secundum quemlibet istorum  
 225 modorum actus similes habent eandem efficaciam sibi  
 proportionatam; actus enim similes secundum esse nature,  
 quantumcunque sint dissimiles secundum esse moris, ut actus  
 matrimonii et adulterii, possunt habere similem effectum naturalem,  
 puta prolem; actus uero similes secundum esse morum, set dissimiles  
 230 secundum esse meriti supernaturalis, ut diligere Deum in habente  
 charitatem uel non habente, habent similem efficaciam moralem,  
 quia consimiliter laudabiles sunt moraliter, set quia non sunt  
 consimiles in eo quod secundum diuinam ordinationem reddit opus  
 nostrum Deo acceptum ut remunerandum uita eterna, ideo actus  
 235 habentis charitatem est meritorius uite eterne et alius non.

[23] Ad secundum dicendum quod nec propter meritum de solo  
 congruo nec propter meritum de condigno stricte ac simpliciter et  
 proprie sumpto ponenda est gratia uel charitas habitualis, set propter

meritum quod est de condigno non simpliciter, set secundum  
presuppositionem ordinationis diuine. 240

[24] Ad argumentum alterius partis dicendum est quod gratia non est  
necessaria propter meritum quod est de solo congruo, set propter  
meritum quod est de solo condigno, non simpliciter, quia non est  
homini possibile, set secundum presuppositionem ordinationis  
diuine. Et ideo non sequitur quod ex puris naturalibus mereamur de 245  
condigno, ut dicit PELAGIUS, nec sequitur quod apud Deum nichil  
possumus mereri; possumus enim mereri de solo congruo ante  
gratiam habitam et post habitam de condigno modo prius frequenter  
exposito.

250

#### Questio tertia

Vtrum gratia uel charitas detur secundum proportionem naturalium

[1] Viso que sit necessitas ponendi charitatem habitum creatum,  
consequenter queritur utrum ipsa detur secundum proportionem 5  
naturalium. Et arguitur quod sic, quia sicut se habet gratia ad  
gloriam, sic uidetur se habere natura ad gratiam; set gloria datur  
secundum modum et proportionem gratie; ergo gratia uel charitas  
datur secundum modum et proportionem nature.

[2] In contrarium est quia *angelica natura altior est quam humana; set* 10  
*aliqui homines secundum gradum gratie sublimius ascendunt quam angeli, cum*  
*secundum GREGORIUM ad singulos ordines angelorum aliqui homines*

245 ex...condigno] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 1, arg 8 et ad 8 (397)  
2 Vtrum...naturalium] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 3 (399-401); *S.th.*, I-II,  
112, 4; II-II, 24, 3 6 sicut...9 nature] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 3, arg 3  
(400) 12 ad...assumuntur] cf. Greg., *Hom. in euang.*, 34, 11 (309, 267-279); 38, 9  
(369, 235); Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 3, sed contra (400)

*assumuntur; ergo gratia non datur secundum modum nature.*

[3] Responsio. Circa questionem istam sic procedetur: primo ponetur  
 15 ueritas questionis; secundo ponetur quedam difficultas incidens circa  
 ueritatem; tertio respondebitur ad istam difficultatem.

[4] Quantum ad primum sciendum est quod mensura charitatis  
 consideranda est ex duobus; omnis enim effectus dependens ex  
 pluribus causis mensuratur ab illis, quia ab eodem habet  
 20 unumquodque esse et esse limitatum et esse mensuratum; charitas  
 autem dependet ex duobus, scilicet ex Deo influente et subiecto  
 recipiente; quare mensura charitatis pensanda est ex hiis duobus.  
 Contingit enim charitatem inequaliter dari dupliciter: uno modo ex  
 parte Dei charitate influentis, supposita equali dispositione subiecti  
 25 recipientis; sicut enim Deus ex beneplacito suo sanctificat unum in  
 utero et alium non sanctificat, nec ex parte subiectorum est aliqua  
 dispositionis diuersitas, similiter ex solo beneplacito inter  
 sanctificatos unum plus sanctificat et alium minus, concedendo uni  
 maiorem gratiam uel charitatem quam alii, puta Marie quam  
 30 Hieremie, nec in hoc iniustum aliquid facit, quando sic facit, gratuito  
 facit; et ideo licet ei quod uult facere nec est qui rationabiliter ei  
 dicere possit cur ita facit.

$\pi$ 56rb [5] Alio modo contingit charitatem inequaliter dari propter  
 inequalitatem que est ex parte recipientis. Hec autem inequalitas  
 35 potest attendi uel quo ad naturam subiecti uel quo ad dispositionem  
 eius. Si attendatur quo ad naturam subiecti, sic non datur charitas  
 secundum proportionem naturalium; alioquin in homine et in angelo  
 non posset esse par gratia nec in pluribus hominibus dispar; cuius  
 ratio est quia uoluntas est subiectum receptiuum charitatis, potentia  
 40 autem uoluntatis secundum se est equalis gradus in omnibus  
 hominibus inter se et inferioris gradus quam in angelis; ergo si

secundum proportionem nature uolentis nude daretur gratia uel  
 caritas, tunc in omnibus hominibus inter se esset equalis, que tamen  
 esset minor quam in angelis; hoc autem est falsum; ergo etc.

[6] Alio modo attenditur inequalitas ex parte subiecti quo ad 45  
 dispositionem subiecti per quam homo reddit se aliquantulum dignum  
 charitate, saltem de congruo, et hec dispositio est conatus ad bonum  
 qui requiritur in omnibus adultis, quia secundum AUGUSTINUM *qui*  
*creauit te sine te non iustificabit te sine te*, idest nisi te cooperante per  
 detestationem mali et conatum ad bonum; et de isto conatu est tota 50  
 difficultas utrum secundum maiorem conatum uel minorem detur  
 maior uel minor caritas.

[7] Et dicendum quod conatus potest dici maior dupliciter: uno  
 modo propter difficultatem, alio modo propter intensionem. Si  
 dicatur maior propter intensionem, quia ille intensiori amore fertur 55  
 in Deum et intensiori detestatione in peccatum quam unus alius, sic  
 dico quod infallibiliter secundum proportionem conatus datur  
 caritas; cuius ratio est quia immediata dispositio uoluntatis ad  
 recipiendum charitatem est amor boni et detestatio mali; uoluntas  
 ergo illa plus disponitur in qua actus illi magis intenduntur; set 60  
 uoluntas magis disposita recipit perfectiorem charitatem quantum est  
 ex parte sui, sicut omne subiectum magis dispositum recipit  
 perfectius impressionem agentis; ergo secundum intensionem  
 conatus est intensio charitatis.

[8] Si uero conatus dicatur maior propter difficultatem, sic secundum 65  
 conatum non semper datur maior caritas, datur tamen quandoque.  
 Primum patet sic: equalis caritas datur secundum equalis conatus

---

55 intensiori] *oni*: intensiore  $\pi$  65 sic] *oni*: si  $\pi$

---

48 qui<sup>2</sup>...te<sup>4</sup>] cf. Aug., *Serm.*, 169, 11, 13 (923)

intensione, set conatus difficilior non semper est intensior; ergo  
 secundum gradus conatus in difficultate non est gradus charitatis.  
 70 Maior prius probata est. Minor probatur, quia mala dispositio in  
 naturalibus uel mala consuetudo in moribus facit quod ad eque  
 diligendum Deum et obediendum peccatum, sicut alius Deum diligit  
 qui est in naturalibus melius dispositus nec est a Deo deprauatus  
 moribus, requiratur maior conatus quo ad difficultatem. Et ideo  
 75 secundum gradum conatus in difficultate non est semper gradus in  
 intensione actus nec per consequens in charitate, est tamen  
 quandoque, scilicet quando cetera omnino sunt paria; tunc enim non  
 uidetur conatus difficilior in uno quam in alio, nisi quia actus ad  
 quem conatus est perfectior. Ille autem conatus creditur fuisse in  
 80 angelis secundum proportionem sue nature ita quod angelus bonus,  
 qui meliora naturalia habuit, habuit intensiorem conatum, quia in eis  
 non est appetitus sensitiuus retrahens uoluntatem a bono rationis,  
 sicut est in hominibus, in quibus *caro concupiscit aduersus spiritum*;  
 propter quod conatus angelorum creditur fuisse secundum totam  
 85 possibilitatem nature uniuscuiusque, que nullum habuit retractiuum;  
 et ideo receperunt gratiam uel charitatem secundum proportionem  
 nature sue, et hoc si eam meruerunt, quia forte eam habuerunt in sua  
 creatione ante omne meritum, ut uidebitur in II libro, in hominibus  
 autem appetitus sensitiuus retrahit uoluntatem a bono et quandoque  
 90 impedit in quibusdam magis, in quibusdam minus secundum aliam et  
 aliam corporis dispositionem. Et ideo per equalem conatum in  
 difficultate non disponuntur omnes equaliter, set qui habet meliora  
 naturalia, si equaliter conetur cum illo qui habet peiora naturalia,

---

92 disponuntur] *ami.*: disponuntur  $\pi$

---

83 caro...spiritum] Paul., *Gal.*, 5, 17    87 forte...meritum] cf. infra, II, 4, 2  
 (141vb-142ra)

melius disponitur et plus recipit de charitate, quandoque autem ille  
 qui habet meliora naturalia minus notabiliter conatur et ille qui habet 95  
 peiora plus et tunc est econuerso, sicut patet in hoc exemplo: fortis  
 enim plus potest portare quam debilis si equaliter conetur, set debilis  
 tantum potest conari et fortis ita parum quod plus portabit debilis  
 quam fortis. Et sic patet primum.

l [9] Quantum ad secundum sciendum est quod ex dictis uidetur 105  
 sequi quod homo non possit alicui angelo adequari in charitate, quia  
 angelus in sua conuersione, ut suppositum est, usus est naturalibus  
 suis secundum omnem conatum sue nature possibilem, set homo,  
 quantumcunque etiam bona naturalia habeat, non potest equari  
 angelo; ergo nec conatus hominis quantumcunque bona naturalia 105  
 habentis potest equari conatui angeli; set secundum conatum datur;  
 ergo etc. Dicendum ad hoc quod argumentum bene procederet si  
 dispositio hominis ad gratiam et ad augmentum gratie esset per  
 unicum actum sicut fuit in angelis, quia nunquam conatus unius  
 hominis potest attingere ad conatum angeli; set quia homo non 110  
 unico actu disponitur ad gratiam habendam, set pluribus, et post  
 gratiam habitum conatur pluribus actibus ad acquirendum  
 augmentum gratie, ideo potest attingere ad tantum uel maiorem  
 gratiam quam angelus qui unico conatu fuit dispositus.

[10] Ad argumentum in oppositum dicendum quod non est simile de 115  
 gratia respectu glorie et de natura respectu charitatis et gratie, quia  
 gratia est immediata dispositio ad gloriam, set natura non disponitur  
 ad gratiam nisi mediante conatu qui non est semper secundum  
 proportionem nature, ut declaratum est.

Ad aliud patet solutio. 120

---

107 argumentum] *coni.*: augmentum  $\pi$



Questio quarta

Vtrum ille qui est in charitate possit cognoscere certitudinaliter se in  
ea esse

5 [1] Deinde queritur utrum ille qui est in charitate possit  
certitudinaliter cognoscere se habere charitatem. Et uidetur quod sic,  
quia AUGUSTINUS dicit VIII De Trinitate et habetur in litera  
quod qui diligit fratrem *magis nouit dilectionem qua diligit quam fratrem*  
*quem diligit*, et loquitur de dilectione charitatiua; set fratrem nouit  
10 certitudinaliter; ergo et dilectionem.

[2] Item nichil est certius homini sua fide et hoc uidetur esse propter  
presentiam fidei; ergo similiter, ut uidetur, nichil est homini certius  
sua charitate.

[3] Item ponamus aliquem puerum modo baptizatum de quo constat  
15 quod non possit ponere obicem gratie, quod habet gratiam uel  
charitatem; talis, quando uenit ad annos discretionis in quibus potest  
peccare aut potest primum peccatum quo mortaliter peccat  
cognoscere aut non, non potest dici quod non possit cognoscere,  
quia si non posset cognoscere an esset peccatum, non posset peccare  
20 illo peccato; excusaretur enim totaliter per ignorantiam inuincibilem;  
si uero potest cognoscere primum peccatum et illud uitare, cum ante  
primum peccatum certum sit eum esse in charitate, talis poterit scire  
de se quod sit in charitate.

[4] In contrarium est quod dicitur Ecclesiaste 9<sup>o</sup>: *Nemo scit utrum*

---

2 Vtrum...esse] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 4 (402-404); *S.th.*, I-II, 112, 5  
8 qui...diligit<sup>3</sup>] cf. Aug., *De Trin.*, VIII, 8, 12 (286, 2-3); Lomb., 142, 24-25  
24 Nemo...incerta] cf. *Ecclesiastes*, 9, 1-2

*amore uel odio dignus sit; set omnia in futurum reseruantur incerta.* 25

[5] Responsio. De aliquo potest haberi triplex cognitio, scilicet quid dicatur per nomen, quid sit, et an sit. Quid autem dicatur per nomen commune est enti et non enti, etiam cui prohibetur esse; et hoc modo dicit PHILOSOPHUS IV P H I S I C O R U M quod *uacuum* est *locus priuatus corpore*, quanquam estimet impossibile quod locus sit sine corpore. Quid autem rei importat illud quod ad essentiam rei pertinet tam in generali, ut "quid est homo?" substantia, quam in speciali, ut "homo est animal rationale mortale", et istud dicit quid rei, quia explicat realitatem eius de quo queritur quid sit; tertia autem cognitio, scilicet an sit, est cognitio qua scimus de re non solum quod dicitur per nomen, quod est commune enti et non enti, nec quid est quo ad essentiam, quod conuenit soli enti, set utrum illud quod dicitur per nomen, quod pertinet ad quid nominis, cui etiam competit possibilitas in re, quod pertinet ad quid rei, sit actu in re extra. 30 35 40

[6] Si ergo queratur de charitate utrum possit cognosci de ea quid dicitur per nomen, certum est quod sit per omnem hominem qui sciret exprimere quid uult insinuare per nomen charitatis, etiamsi illud non esset possibile in rerum natura, sicut scimus de hircoceruo, quid significatur per nomen, quod compositum est ex hirco et ceruo, quamuis non | possit esse in rerum natura. Si uero queratur utrum 45  $\pi$ 56vb  
possimus cognoscere quid sit, dicendum quod sic, accipiendo large scire pro eo quod est assentire dicto S c r i p t u r e uel pro eo quod est assentire probabili persuasioni; utroque enim modo tenemus

---

26 quid] *coni.*: quod  $\pi$

---

26 quid...sit<sup>2</sup>] cf. Arist., *An. Post.*, I, 1, 71a11-13; II, 1, 89b24-25  
29 uacuum...corpore] cf. Arist., *Phys.*, IV, 7, 214a16-17

50 charitatem esse quendam habitum nobis infusum, ut dictum fuit  
 prius. Qualiter autem alia certitudo possit haberi de hoc, non  
 apparet. De natura autem harum cognitionum uidetur procedere  
 questio, set tantum de tertia qua cognoscitur de charitate si est, et  
 quia esse charitatis, sicut et cuiuslibet accidentis, est inesse subiecto,  
 55 ideo tunc solum cognoscimus de charitate si est, quando  
 cognoscimus nos uel alium habere charitatem; habere autem hanc  
 cognitionem de charitate nullus potest quo ad seipsum per  
 certitudinem scire.

[7] Quod patet dupliciter, primo sic: habitus innotescunt per actus et  
 60 obiecta; quicumque ergo scit se habere charitatem oportet quod hanc  
 cognitionem sumat ab obiecto uel ab actu; set per nullum istorum  
 potest haberi certitudo de charitate habita; ergo etc. Minor probatur  
 primo quantum ad obiectum, quia ad idem obiectum ordinatur  
 potentia cum habitu et sine habitu, sicut intellectus perfectus per  
 65 scientiam et sine scientia. Et ideo idem est obiectum uoluntatis  
 absque charitate uel cum charitate, scilicet bonum creatum uel  
 diuinum siue Deus et proximus, maxime supposita fide in intellectu.  
 Quare per obiectum non potest cognosci charitas.

[8] Item nec per actum, quia uel hoc esset per actum quo ad  
 70 essentiam actus uel per modum quem ponit habitus circa actum; non  
 primo modo, quia omnis potentia secundum se et sine habitu potest  
 in omnem actum quo ad essentiam actus in quem potest cum habitu,  
 nec est alius actus secundum speciem hic et ille in genere nature, nec  
 quo ad modum quem ponit habitus circa actum, quia modus quem  
 75 ponit habitus acquisitus circa actum est delectatio et facilitas, et hunc

---

59 habitus...obiecta] cf. *Auct. Ar.*, 6, 56 (179, 88)

modum experitur operans in seipso. Hunc autem modum non ponit  
 charitas, ut patuit supra, et si poneret per ipsum, non discerneretur  
 ab habitu dilectionis acquisite, quia habitus acquisitus poneret  
 similem modum. Ponit autem charitas creata circa actum dilectionis  
 rationem meriti uel acceptabilis; actus enim charitatis est meritorius 80  
 et acceptatus a Deo ut remunerabilis uita eterna; hic autem modus  
 non cadit sub cognitione nostra cum talis acceptatio sit in uoluntate  
 diuina; ergo etc.

[9] Secundo sic: maximum signorum ducentium in cognitionem  
 gratie et charitatis est carere remorse conscientie; set hoc signum est 85  
 fallibile I Ad Corinthios 4<sup>o</sup>: *Nihil michi conscius sum, set non in hoc  
 iustificatus sum*; ergo multo magis cetera signa sunt fallibilia. Patet ergo  
 quod nullus potest per certitudinem cognoscere se esse in charitate.  
 De hoc tamen possunt haberi alique coniecture per quedam signa  
 que ponit beatus BERNARDUS. Et quamuis homo de seipso non 90  
 possit habere aliquam certitudinem quod sit in charitate, tamen si  
 charitas est aliqua forma creata, ut supra positum est, uidetur quod  
 angelus bonus uel malus possit eam uidere in anima nostra et per  
 consequens scire quis nostrum sit in charitate et quis non.

[10] Ad rationes in oppositum cum dicitur primo: Quisquis diligit 95  
 fratrem *magis nouit dilectionem quam fratrem*, dicendum quod uerum est  
 quantum ad essentiam actus, set non nouit utrum actus ille sit a Deo  
 acceptus; ex quo solo potest sciri per certitudinem quod sit a  
 charitate.

---

76 modum<sup>1</sup>] *coni.*: dum  $\pi$

86 Nichil...sum<sup>2</sup>] Paul., *I Cor.*, 4, 4 87 Patet...89 signa] cf. Bern. Clar., *Serm. in  
 Septuag.*, 1, 1 (345, 10-13); Thom., *Super Sent.*, IV, 9, 1, 3, 2, resp. (378)

95 Quisquis...fratrem<sup>2</sup>] cf. Aug., *De Trin.*, VIII, 8, 12 (286, 2-3); Lomb., 142,  
 24-25

100 [11] Ad secundum dicendum quod non est simile de fide et charitate,  
quia tam subiectum fidei sub sua formali ratione quam modus quem  
fides ponit circa actum intellectus habent maiorem distinctionem ad  
reliquos habitus intellectus et ad actus eorum quam habeat charitas et  
modus quem ponit circa actum ad alios habitus uoluntatis et ad  
105 modum quem ponunt circa actum ad quem proficiunt; uel aliter  
potest dici quod sicut nullus potest scire per certitudinem se habere  
charitatem infusam, sic nullus potest certitudinaliter scire se habere  
fidem infusam; licet enim experiamur nos credere, nescimus tamen  
utrum ad hoc inclinemur per habitum infusum, cum sine tali habitu  
110 possimus credere quicquid credimus, ut patebit in II libro, et hoc  
credo uerius etc.

[12] Ad tertium dicunt QUIDAM quod nichil prohibet quod aliquis  
π57ra sciat de se uel de alio principaliter quod sit in | charitate; set nullus  
potest scire si finaliter morietur in ea; unde dicunt quod autoritas  
115 Ecclesiaste allegata intelligitur de finali charitate et non de  
presenti, ut expresse innuitur in fine autoritatis quod *omnia in futurum  
reseruantur incerta*. Set quia, ut uisum est, istud non posset habere  
ueritatem, quicquid sit de intellectu autoritatis, ideo ALII dicunt aliter  
quod nullus potest esse certus certitudine scientie de se uel de alio  
120 quod sit in charitate, licet possit esse certus de hoc certitudine fidei.  
Et de alio quidem est manifestum; baptizans enim paruulum quem  
scit non posse ponere obicem gratie certus est certitudine fidei quod  
paruulus baptizatus est in charitate. Et idem dicunt ISTI quod potest  
aliquis nosse de seipso quando uenit ad etatem in qua potest iudicare  
125 quid licitum uel illicitum, ut arguebatur.

---

109 sine...credimus] cf. infra, II, 28, 1, [6]-[7] (178va-b) 115 Ecclesiaste] cf.  
*Ecclesiastes*, 9, 1-2

[13] Set istud non uidetur uerum quantum ad hoc quod aliquis sit certus de seipso quod habeat charitas, quamuis possit esse certus de paruulo quem baptizat, nec ratio adducta obstat. Cum uero dicitur quod puer baptizatus, quando uenit ad annos in quibus potest primo peccare aut potest cognoscere de primo peccato quo mortaliter peccat quod sit suum primum peccatum aut non, dicendum quod potest cognoscere de primo peccato quo peccat quod sit peccatum, quia aliter non peccare posset, ut arguebatur, set non potest scire per certitudinem quod sit primum peccatum, et ideo non potest scire per certitudinem si prius non peccauit. Quod autem ita sit, patet, quia constat quod est aliquod primum instans in quo potest quis primo peccare; set id nemini potest esse notum; et ideo nullus potest esse certus de aliquo peccato suo quod sit primum, quia nescit si ante peccare potuit aut peccauit, omissione alicuius quod debuit uelle aut facere aut commissione alicuius quod non debuit; ideo etc.

---

126 uerum] *coni.*: utrum  $\pi$  134 scire] *coni.*: sciri  $\pi$

Sententia generalis et specialis secunde partis distinctionis  
decime septime

[1] *Hic queritur si charitas.* Superius determinauit MAGISTER de  
5 missione Spiritus Sancti inuisibili; hic mouet incidentem  
questionem circa determinata. Et diuiditur in tres partes: primo  
enim obiicit contra determinationem per rationem; secundo patet  
per autoritatem; tertio mouet aliam questionem de comparatione  
Spiritus Sancti ad dona. Secunda ibi: *Supra dictum est.* Tertia ibi: *Hic*  
10 *oritur questio cum Spiritus Sanctus.* Prima diuiditur in tres: primo  
enim mouet questionem suam obiiciendo contra determinata;  
secundo respondet; tertio responsionem confirmat. Secunda ibi:  
*Hiis itaque respondet.* Tertia ibi: *Vt autem manifestum fiat.* Secunda  
uero pars principalis, in qua obiicit contra autoritatem, diuiditur in  
15 tres secundum tres autoritates quas mouet et soluit. Secunda ibi: *Set*  
*aliud est, inquiunt.* Tertia ibi: *Et alias quoque inducunt.* Et hec est  
diuisio MAGISTRI et sententia in generali.

[2] In speciali uero sic procedit MAGISTER. Et primo dicit quod  
charitas non est Spiritus Sanctus, quia Spiritus Sanctus non potest  
20 augeri uel minui cum sit immutabilis; set charitas potest augeri uel  
minui; ergo Spiritus Sanctus non est charitas. Item Spiritus Sanctus  
est ubique; charitas autem non, quia non habenti datur Spiritus

---

5 incidentem] *scr.*: incidentem  $\pi$  10 oritur questio] queritur *Lomb.* | Spiritus  
Sanctus] *scr.* *cum Lombardo*: Spiritu sancto  $\pi$  13 itaque respondet] ita  
respondemus  $\pi$  | manifestum] certius *Lomb.* 16 inquiunt] *scr.* *cum Lombardo*:  
inquisitum  $\pi$  | alias] *scr.* *cum Lombardo*: animal  $\pi$

---

4 Hic...charitas] *Lomb.*, 146, 12 | Superius...inuisibili] cf. *Lomb.*, 141, 25 -  
146, 9 9 Supra...est] *Lomb.*, 148, 20 | Hic...Sanctus] *Lomb.*, 152, 16-17  
13 Hiis...respondet] *Lomb.*, 146, 26 | Vt...fiat] *Lomb.*, 147, 8-9  
15 Set...inquiunt] *Lomb.*, 150, 17 16 alias...inducunt] *Lomb.*, 150, 29  
18 Et...23 charitas] cf. *Lomb.*, 146, 12-25

Sanctus; ergo non est charitas. Et respondet MAGISTER quod Spiritus Sanctus in se est immutabilis nec augetur nec minuitur; set in homine uel potius augetur homini uel minuitur, sicut dicitur 25 exaltari et magnificari in nobis, in quantum scilicet in se magnos facit qui tamen in se non magnificatur nec exaltatur. Quod autem obiicitur, quod ubique est, uerum est, set non omne habens Spiritum Sanctum est ubique. Et quoad primum sic responsum confirmat per AUGUSTINUM et patet in litera. Deinde obiicit per 30 AUGUSTINUM, qui exponens illud APOSTOLI: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, distinguit inter charitatem qua Deus dilexit nos et charitatem qua nos diligimus Deum et proximum. Et respondet quod non est distinctio secundum rem, set secundum rationem solum, quia charitas alia ratione est qua Deus diligit et qua nos 35 diligimus Deum et proximum, licet sit eadem charitas in essentia. Alia ratio que probat quod Spiritus Sanctus non est charitas talis est: Spiritus Sanctus non est a seipso; charitas autem est a Spiritu Sancto, sicut fides, sicut dicit AUGUSTINUS; ergo Spiritus sanctus non est charitas, sicut nec fides. Et respondet quod Spiritus 40 Sanctus a se non est, charitas autem a Spiritu Sancto est in nobis; et ideo a seipso datur nobis; et quantum ad hoc dicit AUGUSTINUS quod charitas est a Spiritu Sancto, fides autem, quia non est Deus dans, set tantum ipsum datum, Spiritus Sanctus non est, set tantum a Spiritu Sancto est. Tertia ratio talis est, quia charitas est affectus 45 mentis et motus animi (et hoc ostendit duabus autoritatibus

---

23 Et...29 ubique] cf. Lomb., 146, 26 - 147, 7 29 quoad...litera] cf. Lomb., 147, 8 - 149, 5; Aug., *In Ioh. euang.*, 74, 2-3 (513, 26 - 514, 14) 30 Deinde...36 essentia] cf. Lomb., 149, 6 - 150, 16 31 Charitas...nostris] Paul., *Rom.*, 5, 5 37 Alia...45 est<sup>1</sup>] cf. Lomb., 150, 17-27; Aug., *De Spiritu et litt.*, 32, 56 (CSEL 60, 215, \*) 45 Tertia...53 scientia] cf. Lomb., 150, 28 - 151, 19; Aug., *De doct. chr.*, III, 10, 16 (87, 32-33); *De mor. ead. ath.*, I, 11, 19 (23, 7-9)



AUGUSTINI); set Spiritus Sanctus non est affectus mentis nec motus animi cum sit immutabilis; ergo Spiritus Sanctus non est charitas. Et respondet quod cum charitas est affectus mentis et  
 50 motus animi, hoc effectiue, quia per charitatem mouentur et afficiuntur homines ad diligendum Deum, et hoc modo, scilicet effectiue, dicitur charitas siue Spiritus Sanctus motus animi, sicut dicitur sapientia mobilis scientia. Set tunc est questio cum per Spiritum Sanctum afficiatur aliquis ad spirandum uel credendum,  
 55 sicut ad diligendum, quare Spiritus Sanctus non dicitur fides aut spes sicut charitas. Et respondet quod actum fidei et spei operatur Spiritus Sanctus mediante fide et spe, set actum charitatis immediate; et quia immediate actus charitatis a Spiritu Sancto est, ideo illud a quo immediate ingreditur est charitas, non fides, uel  
 60 spes; unde Spiritus Sanctus est charitas. Et ad hoc adducit autoritas AUGUSTINI, qui uult quod charitas est bonum quo nichil est melius; set quo nichil est melius est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus est charitas, qui *non diuiditur, set dona eius*. Et hoc confirmat autoritate AUGUSTINI. Set hec opinio MAGISTRI non tenetur nec  
 65 ipse obiectiones soluit. Vltimo querit utrum per donum quod est Spiritus Sanctus dentur omnia dona. Et respondet quod sic, set tamen non omnes qui habent Spiritum Sanctum omnia dona habent. Et in hoc terminatur sententia in generali.

70

#### Questio quinta

---

66 respondet] *ani.*: respondet  $\pi$

---

53 Set...65 soluit] cf. Lomb., 151, 20 - 152, 13 61 uult...melius] cf. Aug., *De mor. eccl. ath.*, I, 11, 18 (22, 12-14) 63 non...eius] cf. Aug., *In Ioh. euang.*, 74, 3 (514, 17) 65 Vltimo...68 habent] cf. Lomb., 152, 16 - 153, 5

## Vtrum charitas possit augeri

- [1] Circa augmentum charitatis queruntur quinque: primum est utrum charitas possit augeri et secundum quid attendatur eius augmentum; secundum est que sit causa augmenti uel intensionis et remissionis in formis et quibus formis conueniat intensio <et> remissio; tertium est an forma intensa et remissa sit eadem secundum numerum; quartum est utrum augeatur per quemlibet actum; quintum est utrum charitas possit augeri in infinitum. 10
- Ad primum sic proceditur. Et arguit quod nec charitas nec quecunque forma possit augeri, quia omne quod augetur uel mouetur quocunque motu uariatur; set charitas et uniuersaliter omnis *forma inuariabilis* est, ut dicit AUCTOR *Sex principiorum*; ergo etc.
- [2] Item si charitas augetur, hoc esset secundum gradus in essentia uel in esse; non secundum gradus in essentia, quia hoc uariaret speciem, nec secundum gradus in esse, quia esse est adeo simplex sicut essentia et ita actuale; ergo nullo modo augetur. 15
- [3] In contrarium est quod dicit AUGUSTINUS Ad Bonifacium, et habetur in *Glosa I Cor.* 11° quod charitas *meretur augeri ut aucta mereatur perfici*. Et arguitur per rationem sic: premium correspondet merito; set in premio est gradus secundum illud IOANNIS 14°: *In domo Patris mei mansiones multe sunt*; ergo etiam in merito; set meritum potissime dependet a charitate; ergo charitas habet gradus; set omne tale potest deduci de imperfecto ad perfectum, quod uocamus augmentum; ergo, etc. 20 25

---

7 et<sup>2</sup>] *suppl.*: om. π

---

2 Vtrum...augeri] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 18, 2, 1 (409-414); *S.th.*, II-II, 24, 4-7  
 13 forma inuariabilis] cf. *Lib. sex princ.*, 5 (35, 19 - 36, 6) 20 meretur...perfici]  
 Aug., *Epist.*, 186, 10 (53, 7-8) 22 In...sunt] Ioh., 14, 2

[3] Responsio. Hic est premittendum quod ubicunque est dare augmentum secundum magis et minus (de tali enim augmento nunc loquimur, licet magis proprie sit alteratio quam augmentum), ibi est  
 30 reperire gradus maioris et minoris perfectionis. Illud enim cuius natura consistit in indivisibili simpliciter non dicitur secundum magis et minus; magis et minus autem, si proprie accipiantur, attenduntur secundum eandem naturam specificam, secundum quod dicitur VII  
 P h i s i c o r u m quod illa que sunt comparabilia secundum magis et  
 π57va minus sunt unius rationis. Et isto modo intendimus nunc inquirere de charitate et de quacunque alia forma una secundum speciem utrum habeat gradus secundum quos suscipiat magis et minus, et qualiter. Circa quod procedemus sic, quia primo ponentur dicta aliorum, secundo ponetur illud quod est uerius.

40 [5] Quantum ad primum sciendum est quod QUIDAM dicunt quod gradus secundum quos attenditur magis et minus in intensione siue augmento cuiuscunque forme non sunt gradus secundum essentiam, set secundum esse. Quod probant quantum ad partem affirmatiuam et quantum ad negatiuam. Quantum ad negatiuam, scilicet quod isti  
 45 gradus non attendantur secundum essentiam, probatur primo sic: omnes forme specificæ se habent ut numeri, ut habetur VIII Methaphisice; set ratio numeri consistit in indivisibili quod est completiua unitas sic quod facta quacunque uariatione, additione uel subtractione, uariatur species numeri; ergo similiter facta quacunque  
 50 uariatione circa essentiam forme specificæ uariatur species eo quod essentia forme consistit in indivisibili.

---

29 magis...augmentum] cf. Arist., *Phys.*, III, 1, 201a12-13 34 illa...rationis] cf. Arist., *Phys.*, VII, 4, 249a3-5 46 omnes...numeri] cf. Arist., *Metaph.*, VIII, 3, 1043b30-1044a11; *Auct. Ar.*, 1, 204 (132, 45-48); Thom., *In Metaph.*, VIII, 3, 1722-1727

[6] Secundo sic: si isti gradus attenduntur secundum essentiam, hoc est, quia qualitas intensa continet uirtualiter remissam, sicut intellectiuum continet sensitium, aut quia preexistenti gradu alius additur. Primum non potest dici, quia gradus essentialia quorum unus uirtute continet alium differunt specie, ut patet in exemplo posito de sensitio et intellectiuo; qualitas autem intensa et remissa non differunt specie nec potest dici quod unus gradus alii addatur, quia tunc augmentum fieret per additionem, quod non est uerum; ergo nullo modo sunt illi gradus in essentia.

[7] Quod autem illi gradus possint attendi secundum esse, probatur sic: sicut se habet uirtus ad agere, ita essentia ad esse; set eadem uirtus in nullo uariata potest agere perfectius uel minus perfecte secundum quod illud in quod agit est magis uel minus dispositum; ergo a simili essentia in nullo uariata potest dare perfectius esse uel minus perfectum suo subiecto, secundum quod subiectum est magis uel minus dispositum; et quia subiectum forme substantialis est immediate materia prima secundum se, que ut sic non est magis uel minus disposita, ergo nulla forma substantialis suscipit magis uel minus etiam secundum esse suum in materia uel subiecto, set solum forma accidentalis, et etiam propter aliud, quia forma substantialis dat esse specificum, non autem forma accidentalis. Et ideo in esse quod dat forma substantialis non est uariatio nec esse potest sine uariatione speciei; in esse autem quod dat forma accidentalis potest esse uariatio non uariata specie; ergo nulla forma suscipit magis et minus quo ad gradus in essentia, set tantum quo ad gradus in esse, et non omnis, set tantum forma accidentalis. Huius signum est quia nulla qualitas in abstracto suscipit magis et minus; sic enim signatur

---

59 augmentum] *coni.*: argumentum  $\pi$

ut essentia, set in concreto et in habitudine ad subiectum in quo est  
80 et cui dat esse.

[8] Hec autem deficit in multis: primo in suppositione, secundo in  
positione. In suppositione quidem, quia supponit quod esse realiter  
differt ab essentia; cuius oppositum MULTI tenent pro uerissimo. In  
85 positione uero deficit, quod patet sic: quod enim dicitur quod in esse  
sunt gradus et non in essentia, aut intelligitur quod in ipso actu  
essendi, ut quedam res est, sunt diuersi gradus, sicut ALII ponunt  
diuersos gradus in essentia forme, aut intelligitur quod esse in se sit  
res quedam omnino indiuisibilis, set participatio eius a subiecto habet  
quandam graduum latitudinem. Primum non potest dici propter  
90 multa, primo quia esse intimius sequitur formam uel totum  
compositum ratione forme quam quecunque propria passio uel  
proprietas sequatur aliquam speciem, puta risibile hominem; set in  
istis, scilicet specie et propria passione, non potest esse gradus in uno  
quin sit in alio; ergo nec in esse et forma possunt esse gradus in uno  
95 quin sint in alio.

[9] Secundo, quia ad quod sequitur aliquid primo et per se et  
conuenit ei et non alteri nisi per illud, uidetur habere ab isto  
mensuram, fixationem et determinationem; set esse consequitur  
formam primo et per se nec potest alicui conuenire nisi per formam;  
100 ergo esse habet fixationem, mensuram et determinationem secundum  
formam; et ita non uidetur quod esse possit habere uariationem  
secundum gradus forma non uariata.

$\pi$ 57vb | [10] Tertio, quia aut loquimur de esse essentie aut de esse  
existentie. Si de esse essentie, cum illud sit idem cum essentia  
105 secundum omnes, impossibile est ponere gradus in esse quin

---

97 isto] *coni.*: in sto  $\pi$

ponantur in essentia forme. Si uero loquamur de esse existentie, aut illud est unum tantum in quolibet supposito iuxta unitatem forme substantialis constituentis suppositum, aut plurificatur secundum pluralitatem formarum substantialium et accidentalium; si primum datur, sequitur quod nulla forma habebit gradus in esse nisi forma substantialis, cui soli competit dare esse existentie, quod est totaliter contrarium ueritati et dicto EORUM; si autem detur secundum, adhuc sequitur quod forma substantialis possit recipere magis et minus secundum gradus in esse existentie, sicut forma accidentalis. Quid enim plus obstat hic quam ibi? Non hoc, quod unum sit esse specificum et aliud non, quia nullum esse existentie est esse specificum.

[11] Esse enim specificum est esse essentie quod indicat diffinitio, et tale esse specificum dat forma accidentalis in genere accidentis, sicut forma substantialis in genere substantie, nec aliud quod dicunt obstat, scilicet quod subiectum in quo forma substantialis habet esse, scilicet materia prima, non est secundum magis et minus disposita; subiectum autem forme accidentalis disponitur secundum magis et minus, quia, ut uidebitur paulo post, in subiecto eodem modo disposito, inuenitur forma participari secundum magis et minus; sic ergo patet quod impossibile est ponere gradus in esse, ut est res quedam, quin ponantur in forma.

[12] Si uero detur alia pars, scilicet quod tam esse quam essentia sit quedam res omnino indiuisibilis nec habens gradus secundum se, set tantum participationem eius a subiecto, sicut credo quod intelligant qui hanc positionem posuerunt (ILLI enim non ponunt aliquod esse existentie in uno supposito nisi unum tantum, quod est a forma substantiali; propter quod cum negent formam substantialem suscipere magis et minus secundum essentiam et secundum esse,

135 nulli alii forme debetur esse secundum eos), patet quod IPSI non  
intendunt quod sit aliquod esse essentie uel existentie quod habeat  
gradus, set uocant esse participationem forme a subiecto sic per  
inesse, sicut clare patet ex dictis EORUM quod accidentis esse est  
inesse; hec autem participatio forme secundum inesse, que uocatur  
140 ab eis secundum esse, si sit secundum magis et minus, oportet  
secundum dictum EORUM sic intellectum quod sit totaliter secundum  
magis et minus inesse, quia cum non sit secundum magis et minus in  
essentia forme nec in natura ipsius esse, si esse sit quoddam esse  
absolutum additum forme, necesse est quod sit totaliter et precise  
145 secundum inesse. Quod non potest esse nisi dupliciter: uno modo ut  
illa forma dicatur magis inesse que inest intimius; alio modo quod illa  
dicatur magis inesse que inest firmiter et inseparabiliter; neutrum  
autem istorum potest esse uerum, quia nos querimus de maiori et  
minori perfectione forme, puta caloris uel alterius, per quam  
150 subiectum dicitur magis uel minus tale; set propter maiorem  
intimationem uel firmiorem radicationem caloris in subiecto ipsum  
non dicitur magis calidum, quia calor intimius inest aeri uel aque  
calefacte, quibus intimatur usque ad profundum, quam in ferro, cui  
non intimatur quandoque usque ad profundum et tamen ferrum est  
155 calidius quam aer uel aqua calefacta.

[13] Item calor inseparabiliter inest cordi animali a quo non potest  
totaliter separari cum constantia subiecti quam ferro ignito a quo  
potest separari manente natura ferri; et tamen nullus diceret quod  
cor esset calidius ferro ignito; ergo nec maior participatio secundum  
160 intimationem nec secundum firmiorem radicationem siue

---

149 quam] *coni.*: quem  $\pi$

inseparabilitatem sufficit ad hoc quod aliquid dicatur magis uel minus tale.

[14] Item in relatione non potest esse latitudo, nisi sit latitudo in absoluto; patet de similitudine in qua non potest inueniri magis et minus simile; inueniatur latitudo in qualitate que est fundamentum similitudinis; set participatio forme secundum suum inesse est quedam relatio; ergo in ea non potest esse latitudo nisi propter latitudinem forme, cuius est inherere subiecto. 165

[15] Set diceret ALIQUIS quod ad magis et minus in relatione sufficit latitudo in altero extremo, sicut idem album est similius uni albo quam alteri, non propter latitudinem | sue albedinis, set propter diuersitatem eorum quibus dicitur simile; et eodem modo in participatione forme potest esse magis et minus absque latitudine forme propter latitudinem ex parte subiecti recipientis. 170  
π58ra

[16] Istud autem non ualet, primo quia subiectum uno et eodem modo dispositum recipit siue participat formam secundum magis et minus, sicut aer equaliter dyafanus intensius illuminatur a sole quam a luna; ergo in participatione luminis non est tunc magis et minus ex parte recipientis, set ex parte forme recepte. 175

[17] Secundo, quia latitudo ex parte subiecti non potest attendi secundum naturam eius substantialem, quia illa non recipit magis et minus, nec secundum elongationem a contrario, quia magis et minus inueniuntur in participatione forme non habentis contrarium, puta luminis; ergo oportet quod attendatur secundum aliquam formam que est in subiecto, mediante qua subiectum est susceptiuum alterius forme, sicut aer est susceptiuus luminis mediante dyafaneitate; tunc queram de hac forma per quam subiectum disponitur magis et minus 180  
185

---

177 dyafanus] scr.: dyaphanus π 186 dyafaneitate] scr.: dyaphaneitate π



190 quare participatur ab eo secundum magis et minus, utrum propter  
 latitudinem forme an propter latitudinem ex parte subiecti; si propter  
 latitudinem forme, ergo talis forma habet latitudinem graduum in sua  
 essentia, quod est contra EOS; si propter latitudinem ex parte  
 subiecti, queram, ut prius, de forma secundum quam subiectum  
 disponitur secundum magis et minus, et erit processus in infinitum  
 uel dabitur aliqua forma que participabitur a subiecto secundum  
 195 magis et minus propter latitudinem existentium graduum in ipsamet  
 forme essentia.

[18] Ad rationem illius opinionis respondendum est. Cum enim  
 primo dicitur quod forme sunt sicut numeri, respondetur tripliciter:  
 uno modo quod illud intelligitur de formis a materia separatis; cuius  
 200 signum est quia pars illa introducitur propter opinionem  
 PLATONICORUM, qui posuerunt ydeas separatas esse rerum  
 substantias; unde et PHILOSOPHUS ibidem dicit quod *quemadmodum  
 numerus non habet magis et minus, neque secundum speciem substantia, set que  
 est cum materia.*

205 [19] Aliter dicitur quod illa similitudo inter formas et numeros debet  
 intelligi de formis substantialibus, quarum propria est diffinitio uel  
 specierum per eas constitutarum; diffinitio autem speciei comparatur  
 numero, quia nichil ei potest addi uel minui sine uariatione speciei.

[20] Tertio modo potest dici quod omnes forme tam essentielles  
 210 quam accidentales sunt sicut numeri quantum ad hoc quod sunt  
 indiuisibiles et sine latitudine graduum quantum ad differentias  
 formales que constituunt speciem, non autem quantum ad gradus  
 possibiles inueniri in diuersis indiuiduis eiusdem speciei.

---

201 ydeas] *scr.*: ideas  $\pi$  203 substantia] *scr. cum Aristotele.* substantialem  $\pi$

---

202 quemadmodum...204 materia]† cf. Arist., *Metaph.*, VIII, 3, 1044a9-11

[21] Ad aliam, quod non oportet quod omne illud quod manet uirtute in aliquo differat ab eo secundum speciem, quia minus semper continetur in maiori, maius autem et minus aliquando inueniuntur in eadem specie, et non in diuersis. 215

[22] Ad aliam rationem per quam nituntur probare quod forma potest suscipere magis et minus quantum ad esse, quamuis non recipiat quantum ad essentiam, dicendum quod non est simile de agere respectu uirtutis actiue et de esse respectu forme, quia esse, siue sit a forma differens siue non, est in eodem supposito cum forma et mediante forma; et ideo nulla est ratio quare unum uarietur sine altero; set agere non est in eodem supposito cum uirtute a qua est actio, set in alio, scilicet in passo, et secundum eius uariationem et dispositionem maiorem uel minorem potest eadem uirtus non uariata uario modo agere. Forte autem competentius argueretur sic: sicut se habet agere ad formam productam in passo, sic se habet esse ad formam productam in subiecto, quia utrobique fit comparatio eorum que sunt idem subiecto uno mediante altero; set agere non uariatur secundum magis et minus nec uariari potest nisi forma recepta in passo uarietur; ergo similiter esse non potest uariari nisi uariata forma que est in subiecto. 220 225 230

[23] Dicendum est ergo quod intensio et remissio forme attenduntur secundum gradus essentie. Quod potest probari sic: sicut se habet maius et minus extensiue ad quantitatem, sic se habent magis et minus intensiue ad qualitatem; | set magis et minus extensiue attenduntur secundum ipsammet essentiam quantitatis, que ad hoc habet latitudinem in essentia; ergo magis et minus intensiue attenduntur secundum ipsammet essentiam qualitatis, que quo ad hoc habet latitudinem graduum. 235 π58rb 240

[24] Secundo patet sic: sicut indiuisibilitas forme est ratio non

suscipiendi magis et minus, sic indiuisibilitas forme secundum gradus  
 est ratio suscipiendi magis et minus; set indiuisibilitas forme  
 245 attenditur quo ad eius essentiam; ergo et indiuisibilitas.

[25] Tertio sic: omnis uera alteratio terminatur ad formam que est in  
 tertia specie qualitatis, ut patet VIII *Phisicorum*; set uera *alteratio*  
*est inter magis et minus in eadem specie*, ut patet in VI eiusdem; ergo  
 alteratio que est secundum magis et minus est ad ueram formam de  
 250 tertia specie qualitatis; hoc autem non posset esse nisi gradus  
 intensionis et remissionis attenderentur secundum ipsam essentiam  
 forme uel qualitatis; ergo in eis est talis uarietas graduum quo ad  
 essentiam forme.

[26] Quarto, quia in differentibus specie perfectius et minus  
 255 perfectum attenduntur secundum ipsasmet essentias formarum; ergo  
 similiter perfectius et minus perfectum in eadem specie attenduntur  
 secundum ipsasmet essentiam forme.

[27] Circa quod aduertendum est quod cum omnis perfectio, prout  
 nunc loquimur, sit aliqua forma, impossibile est quod magis et minus  
 260 que dicunt gradus perfectionis sint nisi gradus forme secundum illud  
 secundum quod ipsa est perfectior, et hec est essentia sua et nichil  
 aliud; unde sicut aliquis est formaliter albus per essentiam albedinis  
 sibi formaliter inherentem, sic est album perfectius uel minus  
 perfecte per albedinem essentialiter perfectiorem uel minus  
 265 perfectam, et hoc ipsum nomen sonat, cum dicitur magis albus uel  
 minus albus, quod magis et minus insunt secundum albedinem.

[28] Ad primum argumentum principale dicendum quod forma  
 dicitur inuariabilis, quia non est subiectum uariationis, set tantum

---

248 VI] *an scrib. V?*

---

246 omnis...qualitatis] cf. Arist., *Phys.*, VIII, 7, 261a34-35 247 uera...specie]  
 cf. Arist., *Phys.*, V, 2, 226b1-2

secundum eam tanquam secundum terminum attenditur uariatio in  
subiecto, et hoc sufficit ad hoc ut possit augeri modo quo nunc 270  
loquimur de augmento.

[29] Ad secundum dicendum quod argumentum illud attenditur  
secundum gradus in essentia qui non uariant speciem, nisi essentielles  
gradus in quos forma secundum se pluries est diuisa, sicut forma  
generis secundum se pluries est diuisa in formas specificas habentes 275  
inter se gradus; tales autem gradus non sunt illi secundum quos  
attenditur intensio et remissio forme specificae, quia in eos forma  
specificae non est secundum se diuisa, set tantum diuisibilis, uel forte  
etiam illi gradus possunt in eadem forma reperiri, ut QUIDAM putant,  
quod tamen ALII negant. Quid autem uerius sit, infra patebit. 280

#### Questio sexta

Vtrum essentia forme sit causa suscipiendi magis et minus

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod causa suscipiendi  
magis et minus sit latitudo forme secundum suam essentiam, quia 5  
illud quo posito ponitur magis et minus, etiam omnibus aliis  
circumscriptis, et quo remoto remouetur magis et minus,  
quibuscunque aliis positis, uidetur esse precisa causa suscipiendi  
magis et minus; set posita latitudine forme secundum suam  
essentiam statim ponitur magis, quibuscunque aliis circumscriptis, 10  
quia latitudo non est in uno gradu et ea remota remouetur magis et  
minus, quibuscunque aliis positis, quia in indiuisibili non est gradus;  
ergo latitudo forme est causa quod ipsa suscipiat magis.

---

<sup>2</sup> Vtrum...minus] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 52, 1

15 [2] In contrarium arguitur quod diuersitas subiectorum et  
separabilitas a subiecto sint causa suscipiendi magis et minus, quia  
omnis uariatio accidentis debet accipi in comparatione ad subiectum,  
quia accidentis esse est inesse; set uariatio accidentis respectu subiecti  
non est nisi altero dictorum modorum, uidelicet quia respicit diuersa  
subiecta, uel quia potest inesse et non inesse; ergo etc.

$\pi$ 58va | [3] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt duo: primum  
est que sit causa suscipiendi magis et minus; secundum est quibus  
formis conueniat et quibus non. Quantum ad primum sciendum est  
quod cum causa sit ad cuius esse sequitur aliud, causa et effectus  
semper differunt realiter tanquam diuerse essentie siue nature, siue  
25 totaliter, sicut cause extrinsece, scilicet finis et agens, uel partialiter,  
sicut cause intrinsece, uidelicet materia et forma, que differunt  
partialiter a composito cuius sunt cause intrinsece, quia compositum  
includit aliquid diuersum realiter a qualibet suarum partium diuisim  
accepta; includit enim utramque partem quarum quelibet est realiter  
30 diuersa ab altera. Quo supposito statim patet quod causa suscipiendi  
magis et minus non est latitudo forme, quia illa que sunt penitus  
idem realiter accepta, tam secundum actum quam secundum  
potentia, unum non est causa alterius, set latitudo graduum in  
essentia et suscipere magis et minus, sunt penitus idem realiter  
35 accepta tam secundum potentiam quam secundum actum, quia nichil  
aliud est essentialiter et formaliter albedinem uel quamcunque  
qualitatem posse suscipere uel actu suscipere magis et minus quam  
posse habere uel actu habere latitudinem graduum; ergo unum non  
est causa alterius.

40 [4] Item si unum esset causa alterius aut esset efficiens aut finalis aut

---

31 latitudo] *coni.*: altitudo  $\pi$

esset materialis aut formalis; non est efficiens nec finalis, ut de se patet, nec materialis, quia latitudo forme non est materia nec in qua nec ex qua sint magis et minus in essentia forme, que non habet materiam ex qua sit nec materiam in qua sit, nisi suum subiectum, nec est causa formalis, quia forme non est forma; ergo latitudo 45  
forme nullo modo est causa suscipiendi magis et minus; imo, ut dictum fuit, unum est idipsum quod aliud realiter tam secundum potentiam quam secundum actum.

[5] Que est ergo causa quod aliqua forma suscipiat magis et minus? Dicendum est quod cum magis et minus sint idipsum quod essentia 50  
forme in alio et alio gradu perfectionis essentialis, sicut ipsius forme non est querere causam formalem nec materialem ex qua sit, set solum in qua sit, et cum hoc agens et finis, sic nec ipsius magis et minus; de causa finali autem nichil ad propositum, quia nullus de ea intendit querere hic. 55

[6] Restat ergo solum inquirere de subiecto et efficiente, de quibus dicendum est quod agens formam producens et subiectum eam recipiens se habentia diuersimode in agendo et recipiendo sunt causa recipiendi magis et minus. Quod probatur sic: sicut se habent agens et subiectum uniformiter se habentia ad causandum uniformitatem 60  
in forma producta, ita se habent agens et subiectum difformiter se habentia ad causandum difformitatem in ea; set ex hoc quod agens et subiectum se habent uniformiter in agendo et patiando, causatur uniformitas in forma producta (*idem enim mouens idem et respectu eiusdem natum est facere idem*, ut habetur II De generatione); 65  
ergo ex hoc quod agens et patiens se habent difformiter in agendo et patiando, causatur difformitas in forma producta; magis autem et

<sup>64</sup> idem<sup>1</sup>...idem<sup>2</sup>] Arist., *De gen. et corr.*, II, 10, 336a27-28; *Aut. Ar.*, 4, 43 (170, 6)

minus dicunt difformitatem in forma; ergo etc.

[7] Diuersitas autem inter agens et subiectum actionis et per  
 70 consequens diuersitas secundum magis et minus potest contingere  
 tripliciter: uno modo ex sola uariatione subiecti, sicut aer intensius  
 illuminatur a sole quam aqua; secundo ex sola uariatione agentis sicut  
 idem aer et eodem modo dispositus <intensius> illuminatur a sole  
 quam a luna; tertio modo ex uariatione utriusque, sicut aer intensius  
 75 illuminatur a sole quam aqua a luna; uerumtamen quia nichil fit nisi  
 quod possibile est fieri, quamuis diuersa habitudo agentis ad patiens  
 sit causa latitudinis forme et suscipiendi magis et minus, necesse est  
 tamen quod ex parte forme sit possibilitas ad predictam latitudinem  
 et diuersitatem graduum secundum magis et minus. Et sic patet  
 80 primum.

[8] Quantum ad secundum, scilicet quibus formis conueniunt  
 gradus secundum magis et minus, dicendum est quod non  
 conueniunt formis substantialibus, set tantum accidentalibus, non  
 quantitibus, set qualitatibus, non omnibus, set illis que concernunt  
 85 diuersam habitudinem subiectorum et agentium. Quod suscipere  
 magis et minus non conueniat formis substantialibus, patet, quia ad  
 π58vb omnem | formam que habet latitudinem graduum secundum magis  
 et minus potest esse motus secundum se; set ad formam  
 substantialem non potest esse motus secundum se; ergo nulla forma  
 90 substantialis habet latitudinem graduum secundum magis et minus.  
 Maior patet, quia sicut motus successius dicitur a mutatione subita  
 in hoc quod motus latitudinem partium importat, mutatio autem  
 subita nequaquam, sic forma que per motum acquiritur immediate  
 habet necessario latitudinem graduum; forma autem ad quam non

---

73 intensius] *suppl.: om. π*

est per se et immediate motus, set subita mutatio nullam talem 95  
 latitudinem habet, sicut nec mutatio. Minor patet ex V  
 Phisicorum, ubi dicitur quod *ad substantiam non est motus*. Et  
 confirmatur, quia ipsamet forma que per motum acquiritur, si non  
 intendatur secundum totum decursum motus, set solum secundum  
 gradum illum secundum quem fit actu mutatum esse, consistit in 100  
 indiuisibili, et multo fortius est hoc uerum de forma substantiali, que  
 nullo modo est terminus intrinsecus motus uel alterationis, set solum  
 extrinsecus propter mutationem generationis concomitantem  
 alterationem precedentem.

[9] De quantitibus quod non suscipiant magis et minus, patet sic: 105  
 gradus secundum magis et minus dicunt perfectionem maiorem uel  
 minorem in essentia forme, sicut prius patuit; set tota perfectio  
 quantitatis est secundum maiorem uel minorem extensionem cum  
 quantitas sit essentialiter extensio; ergo magis et minus secundum  
 intensionem non conueniunt quantitati, set solum maius et minus 110  
 secundum extensionem. Idem patet de quibusdam qualitatibus,  
 potissime quarte speciei, ut triangulus, quadrangulus et huiusmodi,  
 quia ille forme quarum formalis et completiua ratio consistit in  
 indiuisibili non suscipiunt magis et minus, quia ista requirunt  
 latitudinem graduum que non potest esse in indiuisibili; set predicte 115  
 qualitates sunt huiusmodi (determinantur enim modo numeri, cuius  
 formalis ratio completur per indiuisibile, et quocunque addito uel  
 subtracto mutatur species); ergo tales qualitates non possunt  
 suscipere magis et minus. Cetere autem qualitates, quarum formalis  
 ratio non completur per indiuisibile et quarum agentia et subiecta 120  
 receptiua possunt se habere diuersimode, suscipiunt magis et minus.

---

97 ad...motus] Arist., *Phys.*, V, 2, 225b10-11; *Auct. Ar.*, 2, 154 (152, 56)  
 112 triangulus quadrangulus] cf. Arist., *Cat.*, 8, 10a14-15



Reliqua autem predicamenta, cum non sint nisi puri respectus uel denominationes respectiue, non suscipiunt magis et minus nisi ratione alicuius absoluti.

125 [10] Ad rationes utriusque partis respondendum est. Cum enim primo dicitur quod illud quo posito ponitur magis et minus et quo remoto remouetur est causa suscipiendi magis et minus, uerum est si sit ab eo realiter differens, quia causam et effectum oportet differre realiter; latitudo autem forme et magis et minus non differunt  
130 realiter, imo sunt penitus idem tam secundum potentiam quam secundum actum, ut prius dictum fuit.

[11] Ad rationem alterius partis dicendum est quod licet omnis uariatio accidentis sit in subiecto, quia accidens non habet esse nisi in subiecto, tamen uariatio eius secundum magis et minus attenditur  
135 secundum ipsammet essentiam forme; causa autem huiusmodi est uaria habitudo agentis ad subiectum nec separabilitas forme aut concernere diuersa subiecta est per se causa suscipiendi magis et minus, quia angulus rectus concernit diuersa subiecta et est accidens separabile et tamen non recipit magis et minus; nec omnis uariatio  
140 forme est penes inherere diuersis subiectis nec penes posse inherere uel non inherere, set penes hoc quod est posse inueniri in diuersis gradibus perfectionis.

### Questio septima

Vtrum eadem forma numero possit esse intensa et remissa

---

135 huiusmodi] *an scrib.* huius?

---

2 Vtrum...remissa] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 52, 1

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod eadem forma numero non possit esse intensa et remissa, quia sicut se habet ubi ad motum localem, sic se habet forma ad motum alterationis uel intensionis; set in toto motu locali non est idem ubi, set semper aliud et aliud; ergo in motu intensionis non est eadem forma, set semper alia et alia. 5

| [2] Item in motu intensionis forma que prius erat remissa, si maneret eadem in motu et in eius termino, aut maneret eadem in propria forma aut non. Si maneret eadem in propria forma, ergo maneret remissa, sicut erat prius; quod est contra sensum et etiam contra rationem, quia nulla facta esset intensio per motum intensionis uel si facta esset intensio, tunc eadem forma maneret remissa et esset facta intensa, quod est impossibile, quia tunc simul esset intensa et remissa. Relinquitur ergo quod non manet in propria forma, set forma que non est in propria forma non manet eadem forma, quia sua entitas et identitas est sua propria formalitas; ergo etc. 15 20

[3] Item de hiis que pertinent per se ad transmutationem ex parte transmutati solum subiectum est illud quod manet idem in tota sua transmutatione, ut patet ex I Phisicorum; si ergo in motu intensionis et remissionis, manet eadem forma intensa et remissa, sequitur quod ipsa sit subiectum talis motus et non terminus a quo uel ad quem, quod non est uerum. 25

[4] Item agens intendens formam aut imprimit aliquid diuersum a precedente aut non; si non, ergo nulla uariatio est in intensione, quod est contra sensum; si sic, ergo forma intensa quam imprimit est diuersa a precedente remissa, ergo non est eadem intensa et remissa. 30

---

22 subiectum...transmutatione] cf. Arist., *Phis.*, I, 7, 190a9-10

[5] Item motus impossibiles habent terminos impossibiles; set motus intensionis et remissionis sunt impossibiles; ergo forma remissa et forma intensa que sunt termini predictorum motuum sunt impossibiles et per consequens non possunt esse eadem forma.

35 [6] In contrarium arguitur quia si intensum et remissum sunt forme realiter differentes, tot erunt forme realiter differentes in alteratione quot erunt differentie ibi secundum magis et minus; set ille sunt infinite; ergo essent infinite forme quod est impossibile. Maior patet, quia magis et minus se habent sicut intensum et remissum. Probatio  
40 minoris, quia tot sunt differentie secundum magis et minus quot nunc possunt accipi in toto tempore alterationis, quia non est dare duo nunc in quibus mobile sit intensum eque (alioquin non moueretur, set quiesceret consimiliter se habens nunc ut prius); set tempore quolibet possunt accipi infinita nunc; ergo etc.

45 [7] Item si per motum intensionis forma remissa abiicitur, aut ergo abiicitur in tempore aut in nunc; si in tempore, ergo in tempore illo precedens forma remansit cum eo quod acquisitum est per alterationem et per consequens cedit in essentiam eandem, quia due forme solo numero differentes non possunt simul esse in eodem  
50 subiecto; si dicatur quod in instanti, eadem ratione forma sequens erit acquisita in instanti et sic nulla talis alteratio erit continua, quod est inconueniens.

[8] Item frigidum remittens calidum aut nichil aut aliquid imprimit; si aliquid, aut calorem aut frigus, non calorem, quia frigidi non est  
55 calefacere per se nec immittit frigus, quia calor ibi remanet, sicut patet ad sensum; calor autem et frigus, cum sint contraria, non possunt simul esse; relinquatur ergo quod nichil immittat et sic nichil est ibi de nouo quod non esset prius; est ergo eadem forma penitus intensa prius, postea remissa.

[9] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt tria: primum est quod principaliter queritur, uidelicet utrum forma intensa et remissa sit una forma secundum numero an plures; secundo est, si sit una, utrum sit una unitate indiuisibilitatis an continuitatis; tertium est, si sit una unitate continuitatis et non indiuisibilitatis, cum omne continuum habeat partes, utrum ille partes sint signabiles an non. 60

[10] Quantum ad primum dicendum est quod supponendo alterationem per quam forma intenditur esse uerum motum continuum, necesse est formam intensam et remissam unam esse numero. Quod patet tripliciter, primo sic: unius motus secundum numerum necesse est esse unum terminum secundum numerum; set alteratio continua per quam forma intenditur est unus motus secundum numerum, quia uera unitas motus est eius continuitas; ergo forma que est terminus eius est una secundum numerum. Minor de se patet. Set maior probatur, primo per ARISTOTILEM V *Phisicorum*, qui hoc dicit expresse. Secundo, quia unius | motus secundum numerum est solum unum actum mutatum esse secundum numerum; set secundum plures formas numero totaliter differentes non potest unum esse numero mutatum esse in actu, set sunt necessario plura; ergo unus motus secundum numerum non potest terminari ad plures formas secundum numerum, set solum ad unam. Tunc sic terminus motus non acquiritur totus simul et subito, set successiue (alioquin motus, qui nichil aliud est quam termini acquisitio, non esset continuus et successiuus, quod, ut manifestum est, est impossibile); set in illa successione est intensum et remissum secundum illam formam que acquiritur, que est una numero, ut probatum est; ergo eadem forma secundum numerum est intensa et 65 70 80 85

---

74 Aristotilem...expresse] cf. Arist., *Phis.*, VII, 1, 242a33-b3

remissa. Quod autem in illa successione sit intensum et remissum, patet, quia mobile, quod se habet similiter nunc ut prius, non mouetur, set potius quiescit; set si in tota successione motus per quem forma intenditur forma non uariatur secundum intensum et remissum, set est in eodem gradu, tunc subiectum talis forme sic se habet secundum illam similiter nunc ut prius; ergo non mouetur, set quiescit et sic habens motum non mouetur quod est impossibile; quare etc.

95 [11] Secundo sic: eque necessariam habitudinem habet motus alterationis successiue ad formam fluentem sicut ad mobile et ad tempus; set unitas numeralis motus requirit necessario unitatem mobilis numeralis et unitatem numeralem temporis, ergo et forme fluentis; set in forma fluente sunt necessario gradus secundum intensum et remissum; ergo etc.

100 [12] Tertio sic: quia si latitudo intensi et remissi non est in aliqua forma secundum numerum cum nulla latitudo sit in ea nisi forte secundum extensionem, de qua nichil ad propositum, tunc quelibet alteratio esset acceptio unius forme indiuisibilis, set talis acceptio est subita mutatio, et non motus successiuus; ergo supposito quod alteratio sit motus continuus, necesse est quod forma illa acquisita per motum illum una numero existens habeat latitudinem intensi et remissi, quod est primum principale propositum.

110 [13] Quantum ad secundum dicendum est quod talis forma non est una indiuisibilitate, set continuitate. Quod patet, primo quia terminus motus acquiritur successiue, ut probatum est; set indiuisibile non potest acquiri successiue, set necessario acquiritur totum simul cum non habeat partem et partem; ergo forma que est terminus modus

---

107 intensi] *coni.*: extensi  $\pi$

est una unitate continuitatis et non indiuisibilitatis.

[14] Secundo sic: motus ad formam est fluxus forme uel forma 115  
fluens et ideo idem iudicium uidetur esse de unitate motus et de  
unitate forme; set motus est unus unitate continuitatis suarum  
partium et non unitate indiuisibilitatis; ergo forma que acquiritur per  
motum non est una unitate indiuisibilitatis, set continuitatis.

[15] Tertio per idem per ARISTOTILEM VI P H I S I C O R U M, ubi dicit 120  
quod in motu omnia sunt diuisibilia, mobile, tempus et terminus;  
qualiter autem qualitas que secundum se non est quanta nec  
diuisibilis possit habere continuitatem et diuisibilitatem, dicitur  
postea.

[16] Quantum ad tertium, uidelicet utrum partes secundum quas 125  
attenditur continuitas et diuisibilitas, forme sint signabiles uel non,  
procedetur sic: primo ponetur opinio aliorum et postea illud quod  
uidetur uerius de questione. Quantum ad primum dicunt QUIDAM  
quod forma intensa differt a remissa precedente sicut habens ipsum  
et plus, non secundum partes signabiles, ita quod una possit 130  
signanter distingui ab alia, set sicut totum perfectionabile  
comprehendens aliqua non distincta in eo secundum partes  
signabiles. Et de hoc ponuntur duo exempla.

[17] Primum est de conuersione alimenti in nutritum, ubi 135  
materia adueniens non potest signanter distingui a precedente. Et  
similiter quando pellis efficitur maior per extensionem, maioritas  
adueniens non potest distingui a precedente, et idem si fiat per  
rarefactionem, quia corpus rarefactum fit maius et maioritas  
adueniens non potest distingui a quantitate precedente. Simili modo

---

121 diuisibilia] *coni.*: indiuisibilia  $\pi$  129 intensa] *coni.*: intensè  $\pi$

121 in...terminus] cf. Arist., *Phys.*, V, 2, 233b25-32; 3, 234a18-19; 4, 234b10-235a16; *Auct. Ar.*, 2, 174-175 (154, 92-94)

140 dicunt quod forma efficitur intensior per hoc quod toto primo  
 π59va accepto remanente illo quod superuenit cedit in unitatem | cum eo  
 nec distinguitur aliquo modo sicut diuerse partes signabiles.

[18] Hec est opinio cum tota sua declaratione. In hac autem opinione  
 implicantur multa inconuenientia. Primum est quia contradicit illi  
 145 opinioni sancti THOME quam fingit se defendere; hec enim opinio  
 dicit augmentum siue intensionem forme fieri per additionem  
 alicuius de nouo aduenientis, quemadmodum fit mutatio per  
 additionem materie alimenti ad materiam nutriti, ut clare patet ex  
 dictis EORUM; opinio autem DOCTORIS quam tenentes predictam  
 150 opinionem dicunt se sequi est patenter contraria.

[19] Secundum est quia ille modus quem ponunt est secundum se  
 falsus. Quod patet sic, quia realis additio est realiter diuersorum  
 (idem enim non additur sibi ipsi nisi forte secundum rationem); set  
 155 qualitati preexistenti non potest aduenire noua qualitas realiter  
 diuersa a prima qualitate; ergo non potest esse additio qualitatis ad  
 qualitatem. Probatio minoris: si precedenti qualitati posset aduenire  
 noua qualitas realiter a precedente diuersa, hanc diuersitatem haberet  
 uel ante suam additionem uel in sua additione uel post suam  
 additionem; non ante suam additionem, quia quod non est a nullo  
 160 est diuersum (idem enim et diuersum sunt differentie entis); set  
 secunda qualitas ante suam additionem non est (cum enim qualitas  
 non sit nisi in subiecto nec transeat de subiecto in subiectum,  
 impossibile est qualitatem preexistere sue unioni ad subiectum in  
 quo habet aliquando esse); nec hanc diuersitatem potest habere in  
 165 sua additione uel post, quia tunc est in eodem subiecto cum qualitate  
 diu precedente; diuersa autem accidentia eiusdem speciei non

---

166 diuersa...subiecto] cf. Arist., *Metaph.*, V, 10, 1018b7-8; Thom., *In Metaph.*,  
 V, 12, 935 (249)

possunt simul esse in eodem subiecto, ut patet ex V  
*Metaphisice*; ergo etc.

[20] Secundo sic, quia si qualitas adderetur qualitati, aut hoc esset per  
 modum informationis ita quod prima informaretur per aliam uel 170  
 econuerso, quod non est intelligibile, cum utraque sit forma unius  
 rationis cum alia, et inter reales non habet locum informatio; aut per  
 modum associationis, quod similiter esse non potest, quia tunc homo  
 simul haberet plures qualitates nec esset augmentum qualitatis, set  
 multiplicatio; aut per modum transitus, quod non potest esse 175  
 secundum naturam, quia nullus actus nec in actu quantum ad actum  
 suum transit naturaliter in alterum nisi corruptione sui (uerbi gratia  
 dicimus quod aer transit in ignem per generationem et alimentum in  
 nutritum per nutritionem, et utrobique corrumpitur quicquid  
 actualitatis est in eo quod dicitur transire). Cum ergo omnis forma sit 180  
 aliqua actualitas, impossibile est quod transeat in quodcunque nisi  
 per sui corruptionem, et sic non remanebit eadem numero que prius  
 erat; et causa est quia actus distinguit et separat. Et ideo impossibile  
 est quod actus adueniat actui, si maneat, quin sit res distincta et  
 signabilis aliquo modo. Non sic autem est de pura potentia qualis est 185  
 materia, quia pura potentia de se non distinguitur nisi a nichilo et ab  
 actu, quia cum sit ens quaecunque distinguitur a nichilo, quod nullo  
 modo est ens; et cum sit pura potentia distinguitur ab actu; set etiam  
 de se non distinguitur a materia cum utraque sit pura potentia et  
 neutrum sit actus nec nichil; imo cum tota actualis entitas materie sit 190  
 sua forma, tota actualis unitas uel diuersitas materie cum materia est  
 a forma; ab eodem enim est entitas, unitas et diuersitas. *In fundamento*

---

192 In...distinctum] cf. Arist., *Metaph.*, I, 8, 989b6-7 (transl. Arab.-Lat. apud  
 Averr., *Metaph.*, I, 17, 14F); *Auct. Ar.*, 1, 31 (117, 34-35)



enim *nature*, quod est *materia <prima>*, nichil est distinctum quantum est  
 de se secundum COMMENTATOREM; propter quod alimentum  
 195 adueniens materiei nutriti sub eadem forma penitus efficitur unum  
 cum ea, quia nec de se prius distinguebatur, set per formam uel  
 formas quas prius habebant, forma autem quelibet de se distinguitur  
 ab alia.

[21] Et ideo nullo modo potest cedere in unum penitus cum alioquin  
 200 corrumpatur uel si remaneat, quin sit aliquo modo distincta et  
 signabilis; propter quod nullum est simile quod ISTI adducunt de  
 materia alimenti adueniente materie nutriti et de forma.

[22] Secundum etiam simile quod adducunt de extensione pellis  
 nichil penitus ualet, quia quando pellis extenditur, quantitas  
 205 quantitati non additur, quia uel preexistens adderetur uel alia que de  
 nouo fieret non preexistens, quia nulla apparet preexistere que ab  
 π59vb extendente accipiatur | et preexistenti addatur nec aliqua de nouo  
 sit, quia omnis actio ad quamcunque formam ueram et naturalem aut  
 est alteratio uel habet alterationem preuiam; hic autem non apparet  
 210 aliqua talis alteratio preuia; ergo in extensione pellis maior quantitas  
 apparet quam prius, non propter aliquam quantitatem additam ad  
 preexistentem remanentem, set propter alteram uel utramque  
 duarum causarum: una est quod pellis extenditur per talem modum  
 quo cera extenditur, quod fit quando alique partes que prius sibi  
 215 iungebantur secundum latum per compressionem cere, iunguntur  
 sibi secundum longum, et eodem modo partes pellis que ante  
 extensionem iunguntur sibi aliquialiter secundum grossitiem per  
 extensionem iunguntur sibi secundum longitudinem (cuius signum  
 est quia pellis si extendatur, efficitur subtilior et minus spissa); alia

---

193 nature] *scr. cum Aristotele*: materie π | prima] *suppl.*: om. π

causa est et potior quod pellis est corpus porosum et molle et per 220  
 extensionem pori dilatantur secundum illam dimensionem secundum  
 quam pellis trahitur et secundum aliam stringuntur (uerbi gratia si  
 pellis trahatur secundum longum, pori qui forte prius erant rotundi  
 efficiuntur figure oblonge et partes pellis secundum latum iunguntur  
 sibi propinquius quam prius, et ob hoc pellis efficitur maior 225  
 secundum longitudinem et strictior secundum latitudinem). Aliud  
 autem exemplum de extensione per rarefactionem petit principium;  
 idem enim dubium est de identitate caloris intensi, et remissi et de  
 modo identitatis, sicut de identitate maioris et minoris quantitas  
 sequentis ad motum rarefactionis, que est uera alteratio, ut habetur 230  
 IV Phisicorum. Et ideo utrumque est eque dubium nec est  
 uerum quod ab istis opponitur.

[23] Dicendum est ergo ad articulum istum quod si partes signabiles  
 uocentur sole partes continui, que simul accipi possunt, sic forma 235  
 intensa et remissa non sunt partes signabiles in aliqua una forma,  
 quia in eodem subiecto et secundum eandem partem non est  
 possibile eandem formam secundum speciem simul esse intensam et  
 remissam, set hoc modo partes signabiles nimis stricte accipiuntur. Si  
 uero partes signabiles uocentur omnes ille partes que in suo toto 240  
 habent realem differentiam, ratione cuius uere possit dici quod una  
 non est altera, quamuis sint partes unius numero, sic forma intensa et  
 remissa sunt partes signabiles unius forme que in toto motu est una  
 continuitate, etsi non simultate alium partium.

---

220 porosum] *scr.*: porrosum  $\pi$  221 pori] *scr.*: porri  $\pi$  243 alium] *an scrib.*  
 aliarum?

---

230 rarefactionis...alteratio] cf. Arist., *Phys.*, IV, 9, 217a33-b27; VIII, 7,  
 260b1-8; Thom., *In Phys.*, IV, 14, 555 (269)

[24] Circa quod aduertendum quod qualitas que secundum se non  
 245 est quanta nec diuisibilis potest habere continuitatem et  
 diuisibilitatem dupliciter: uno modo, quia extenditur quantitate et  
 continuitate subiecti sui, sicut calor ignis extenditur secundum  
 quantitatem ignis et albedo niuis secundum quantitatem niuis, et quia  
 250 quelibet pars ignis est calida et quelibet pars niuis est alba, et in  
 qualibet parte subiecti est alia et alia pars qualitatis, puta caloris uel  
 albedinis, que constituunt unum calorem et unam albedinem unitate  
 continuitatis, sicut partes subiecti constituunt unum subiectum  
 continuum; et istud solum habet locum in qualitibus que habent  
 corpus quantum pro subiecto.

[25] Alio modo potest aliqua qualitas habere continuitatem et  
 255 indiuisibilitatem non a subiecto nec secundum partes subiecti, set  
 secundum motum et partes motus cuius est terminus et per quem  
 habet fieri in subiecto et acquiri, quia cum quilibet motus habeat  
 partes, quarum quelibet est motus, necesse est quod sicut duorum  
 260 motuum precise diuersorum sunt termini precise et simpliciter  
 diuersi, sic omnium partium motus, quarum quelibet est quidam  
 motus distinctus partialiter ab alio, sicut diuersi termini partialiter  
 distincti constituentes sua continuitate unum totalem terminum  
 secundum quem fit motus, et hec continuitas differt a prima, quia  
 265 partes prime continuitatis sunt simul permanentes sicut quantitas  
 subiecti est permanens; set partes secunde continuitatis non sunt  
 permanentes nec sunt simul duratione, sicut nec partes motus;  
 propter quod sicut una parte motus superueniente alia desinit esse,  
 sic est etiam in partibus forme que intenditur quod una abiicit aliam  
 270 ab eodem subiecto. Et quamuis rationes que adducte sunt in  
 arguendo ad questionem satis efficaciter hoc probent, tamen possunt  
 alie adhuc adduci ad probandum idem.

l [26] Prima talis est: in omni motu terminus quo abiicitur et terminus ad quem acquiritur; set in motu intensionis terminus a quo est forma remissa, terminus uero ad quem est forma intensa; ergo in tali motu forma remissa abiicitur et forma intensa acquiritur, et sic est alia et alia forma. π60ra  
275

[27] Ad hoc respondent QUIDAM quod in motu intensionis terminus a quo non est forma quantum ad id quod est, quia sic manet, set quantum ad priuationem perfectionis, que est in forma intensa, et sic non manet. 280

[28] Set istud non ualet, quia sicut patet ex I *Phisicorum* ad transmutationem non pertinent per se et intrinsece nisi subiectum et terminus a quo et terminus ad quem; set ad motum intensionis requiritur per se forma remissa quantum ad essentiam forme, quia motus intensionis non potest esse in non habente formam; ergo cum ipsa non sit subiectum nec terminus ad quem, relinquitur quod ipsa secundum id quod est essentialiter sit terminus a quo, qui abiicitur. 285

[29] Item priuatio que dicitur esse terminus a quo aut habet pro immediato subiecto formam remissam aut subiectum forme; non subiectum forme, quia tunc subiectum forme posset habere priuationem illam sine forma et per consequens posset sine ea moueri motu intensionis, quod est falsum; si forma est eius subiectum, sequitur quod ipsa sit subiectum perfectionis opposite, quia idem est subiectum priuationis et habitus, et sic illa perfectio non esset idem cum forma, quia idem non est subiectum suiipsius, quod est falsum et contra EOS; ergo et idem ex quo sequitur, uidelicet quod forma secundum id quod est non sit terminus a quo, set priuatio perfectionis que est in forma intensa. 290  
295

---

282 ad...284 quem] cf. Arist., *Phis.*, I, 7, 191a8-21

300 [30] Item idem est terminus ad quem remissionis qui est terminus a  
quo intensionis, quia isti motus se habent ex opposito; set terminus  
ad quem remissionis non est sola priuatio, set forma positua. Minor  
probatur, quia actio illa est positua et ad posituum terminum, que  
est a principio posituo agente ex necessitate nature; set actio per  
305 quam frigus aque remittitur per calorem ignis est a principio  
posituo, scilicet a calore agente ex necessitate nature; ergo est  
positua et ad terminum posituum, quod de se natum est agere nec  
potest actionem suspendere, eo quod <quod> agit de necessitate  
nature, si aliquid agit, agitur posituum et non priuatum, nisi  
310 quatenus ad posituum sequeretur aliquid priuatum; semper enim  
principium actionis per se et eius terminus sibi inuicem  
correspondent. Secus esset si in potestate sua esset subtrahere suam  
actionem; si enim in potestate solis esset subtrahere suam  
influentiam, tunc huiusmodi non quidem actionis, set subtractionis  
315 terminus esset priuatio, scilicet tenebra; set nullius agentis ex  
necessitate nature potest esse terminus priuatiuus, nisi totaliter  
impediatur eius actio, et tunc nec est ibi dare terminum nec  
actionem; in motu autem remissionis frigiditatis aque per calorem  
ignis non potest dici quod actio caloris totaliter impediatur (alioquin  
320 non esset remissio frigiditatis aque); quare etc.

[31] Secunda ratio est talis: agens intendens aut imprimat aliquid  
diuersum a precedente aut non; si non, ergo nulla uariatio est in  
intensione, quod est contra sensum; si sic, ergo forma intensa quam  
imprimat est diuersa a precedente remissa, et ex hoc ulterius sequitur  
325 quod illa remissa corrumpatur, quia due forme eiusdem speciei non  
sunt simul in eodem subiecto.

---

308 quod<sup>2</sup>] *suppl.: om. π*

[32] Ad hoc dicunt ILLI quod imprimere aliquid diuersum a precedente potest esse dupliciter: uno modo, quia facit formam omnino distinctam, et hoc modo intendens non imprimit aliquid diuersum a precedente; alio modo, quia facit precedens perfectius, et sic facit diuersum a precedente modo quo idem magis perfectum differt a seipso minus perfecto. Si autem fiat uis in nomine `impressionis`, posset dici quod non imprimit de nouo, set impressum perficit et sic agit. 330

[33] Ista responsio in multis deficit, primo quia discordat a positione istorum; ponunt enim quod sicut materia alimenti aduenit materie nutriti, sic per actionem intendentis aduenit aliquid priori forme; et constat quod materia alimenti antequam adueniat nutrito, est totaliter alia a materia nutriti, et similiter oportet in intensione forme, si fiat per illum modum quem ISTI ponunt, scilicet per additionem alicuius de nouo aduenientis, quia noua actio et totaliter alia habet nouum terminum totaliter alium; set alio intendentis formam est noua et totaliter alia ab actione producentis formam, et quandoque cadit inter ipsas multum tempus medium; ergo forma que est terminus intensionis est totaliter alia a forma priore, que fuit terminus predictae productionis; si ergo intendens formam aliquid imprimit, illud est totaliter diuersum a precedente. Vnde multo melius tenuissent positionem suam, si dixissent quod illud impressum est totaliter diuersum, set sui additione cadebat in idem cum priore, quamuis hoc dictum sit falsum et impossibile secundum cursum nature, ut prius probatum fuit. Quod autem secundo dicitur, quod intendens formam nichil imprimit, set impressum perficit et sic agit, expressius contradicit positioni EORUM quam primum, quia ISTI expresse dicunt quod per intensionem aliquid superuenit priori forme, et modo dicunt quod nichil, `aliquid` autem et `nichil` expresse contradicunt. 335  
π60rb 340 345 350 355

[34] Item si nichil imprimit, set perficit et sic agit, ergo perficit per nichil et agit nichil agendo, que omnia sunt absurda et impossibilia.

[35] Item perfectio forme est aliquid posituum; aut ergo est idem cum forma quantum ad essentiam forme aut aliud; non aliud tam  
 360 secundum ISTOS quam secundum ueritatem; ergo idem est; ergo quod causat nouam perfectionem causat nouam formam quantum ad essentiam forme; primum fit per intensionem, ergo et secundum.

[36] Tertia ratio talis est: essentia essentialiter uariata non est eadem essentia; set forma intensa et remissa dicunt essentiam forme  
 365 essentialiter uariatam; ergo forma intensa et remissa non sunt eadem essentia. Maior patet, quia idem manens idem ut sic non est uariatam; propter quod essentia manens eadem essentia non uariatur essentialiter, et si uariatur essentialiter, non manet eadem essentia. Minor similiter probatur, quia cum perfectio forme sit ipsamet  
 370 essentia forme, uariatio perfectionis forme est uariatio essentie forme et essentialis; quare etc.

[37] Ad hoc respondent qui prius et ut prius quod essentiam forme uariari etiam essentialiter potest esse dupliciter: uno modo sic quod  
 375 sint plures forme totaliter diuerse, et hoc non facit quelibet essentialis uariatio, potissime illa que est secundum intensionem et remissionem; alio modo quod sint sic diuerse quod una contineat aliquam perfectionem quam non continebat alia, remanente tamen utrobique eadem essentia, et sic est in proposito.

[38] Ista autem euasio et omnes consimiles friuole sunt et stant in  
 380 uerbis sine re, quia quodcumque aliqua sunt idem realiter adequate et conuertibiliter, a quocumque differt unum et reliquum; set in forma intensa essentia forme et eius perfectio sunt idem realiter adequate et conuertibiliter, quia non est aliud, neque secundum totum neque secundum partem, essentia forme et eius perfectio, set

sunt penitus idem; ergo cum forma intensa differat secundum ISTOS 385  
a remissa ratione maioris perfectionis siue quantum ad perfectionem,  
necesse est ut differat quantum ad essentiam.

[39] Tenendem est ergo quod forma intensa et remissa acquisite per  
motum possunt esse partes unius forme numero, et que non est una  
indiuisibilitate, set continuitate suarum partium, que non sunt simul, 390  
set successiue, et una superueniente alia desinit esse et hoc modo  
signari possunt.

[40] De charitate autem, de qua principaliter questio mota est,  
dicendum est quod si Deus augmentet eam per uerum motum  
continuum, sicut etiam potest si uult, idem dicendum est quod de 395  
qualitatibus corporalibus dictum est; si uero Deus augmentet  
charitatem per subitam influentiam, sicut probabilius est dicere,  
necesse est charitatem remissam et intensam esse omnino distinctas  
secundum numerum nec possunt esse <une> numero quocunque  
modo uere unitatis. Cuius ratio est quia sola continuitas motus est 400  
ratio unitatis partium forme acquisite per motum. Cum ergo tollitur  
motus, tollitur ratio unitatis et continuitatis partium forme, que  
secundum se non habet quantitatem nec partialitatem; hoc autem est  
in charitate quando per subitam influentiam infunditur et augetur;  
quare etc. 405

| [41] Rationes principales que adducte sunt ad probandum quod 410  
forma intensa et remissa non sunt eadem forma secundum  
numerum, concedende sunt pro quanto probant quod forma intensa  
et remissa mutuo se expellunt tanquam partes unius continui  
successiui, sicut in corpore questionis expositum est; set non probant  
quin tota forma cuius ille sunt partes sit una numero continuitate.

---

399 une] *suppl.*: om. π



[41] Ad rationes in oppositum respondendum est. Ad primam cum dicitur quod si intensum et remissum essent diuerse forme, sequeretur quod in quolibet motu intensionis essent infinite forme, 415 dicendum est quod sicut in quolibet motu sunt infinite partes motus in potentia et uniuersaliter in quolibet continuo, sic in forma que per motum successiue et continue acquiritur sunt infinite forme partiales que in sua continuitate constituunt unam totalem formam, secundum quam tota successio motus acquiritur; tamen secundum 420 nullam earum est actu mutatum esse nisi secundum finalem gradum ad quem terminatur motus, et hoc non est inconueniens, imo necessarium quod infinite forme in potentia per modum partium continui sint in qualibet forma que per motum acquiritur.

[43] Ad secundum dicendum est quod forma remissa que ante 425 motum erat in subiecto sub esse fixo abiicitur in instanti, sequens tamen forma non introducitur in instanti, set in tempore; sicut enim per motum localem contactus mobilis cum alio corpore secundum sui ultimum soluitur in instanti, quia erat secundum indiuisibile, processus uero mobilis ad quemcunque locum est successiuus, quia 430 omnis locus quantitatem habet, sic recessus subiecti a forma remissa que prius erat in subiecto sub esse fixo et indiuisibili in instanti, acquisitio uero forme sequentis per motum, cum habeat latitudinem continuitatis, fit in tempore.

[44] Ad tertium dicendum quod frigidum remittens calidum aliquid 435 imprimat non per se solum, set cum calido coagente uel conseruante calorem pristinum; sicut enim calidum et frigidum de nouo appropinquata eidem passiuo causant tepidum non alterum tantum, set utrumque, sic frigidum superueniens agenti et conseruanti calorem circa idem subiectum agit una cum ipso remissioem 440 calorem, non quod seorsum unum causet calorem et aliud frigus, set

ambo tenentia locum unius agentis agunt effectum utrique proportionabilem secundum modum sue uirtutis.

### Questio octaua

#### Vtrum charitas augeatur per quemlibet actum meritorium

- [1] Ad quartum sic proceditur. Et arguitur quod charitas augeatur per quemlibet actum, quia quod potest facere maius potest et minus; set maius est mereri uitam eternam quam augmentum charitatis; cum ergo per quemlibet actum informatum charitate homo mereatur uitam eternam, uidetur quod fortiori ratione mereatur augmentum charitatis. 5
- [2] Item aut primus actus aliquid operatur ad augmentum habitus aut non; si sic, eadem ratione secundus et tertius et quilibet alius; si non, eadem ratione nec secundus nec tertius nec quilibet; igitur aut habitus nunquam augebitur, quod est manifeste falsum, aut augebitur per quemlibet actum. 10
- [3] In contrarium est quia habitus habet augmentari et generari ex eisdem, ut patet ex II E t h i c o r u m; set charitas non generatur in nobis ex actibus nostris, set est a solo Deo eam influente; ergo per nullum actum nostrum potest augeri. 15
- [4] Responsio. Videnda sunt tria: primum est qualiter se habent differenter actus nostri ad habitus infusos et ad acquisitos in generatione et augmento eorum; secundum est quod quilibet actus 20

---

16 eisdem] *coni.*: eiusdem  $\pi$

2 Vtrum...meritorium] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 2, 3 (418-421); *S.th.*, I-II, 114, 8; II-II, 24, 6 15 habitus...eisdem] cf. Arist., *Eth. Nic.*, II, 1, 1103a31-b25; 3, 1105b9-10

conformis habitui acquisito generat ipsum uel generatum prius  
 augmentat; tertium est quomodo se habeant actus nostri ad  
 augmentum charitatis.

25 [5] Quantum ad primum sciendum est quod habitus acquisiti  
 causantur ex actibus nostris, infusi autem non, set tantum a Deo;  
 propter quod actus nostri se habent ad habitus acquisitos aliquid  
 effectiue, ad charitatem autem et ad habitus infusos non, set tamen  
 dispositiue | per modum meriti, et hoc tam respectu infusionis quam  
 π60vb  
 30 respectu augmenti, tamen ex eisdem fit acquisitio et eius  
 augmentum.

[6] Quantum ad secundum sciendum quod non est alia difficultas de  
 augmento habituum acquiritorum ex actibus quam de augmento  
 aliarum qualitatum recipientium magis et minus; in omnibus enim ex  
 35 uno actu non quocunque, set habente effectum posituum generatur  
 habitus uel qualitas que ex quolibet simili augmentatur. Quod patet  
 sic: omne enim passium, dum patitur ab agente, recipit aliquam  
 impressionem, quia non est intelligere passionem proprie dictam sine  
 abiectione et receptione nec improprie dictam sine receptione; actus  
 40 enim conformis habitui agit in potentiam que nata est perfici per  
 habitum uel obiectum mediante actu uel illud quod est causa actus;  
 ergo aliquid imprimat in potentiam. Nunc est ita quod quando  
 impressio facta ab uno agente non absorbetur aut totaliter  
 corrumpitur quousque appropinquat eidem passo consimile agens,  
 45 illud secundum agens sua impressione augmentat prius impressum; si  
 uero impressio prioris agentis absorbeatur prius, tunc secundum  
 agens de nouo facit suam impressionem per modum sue uirtutis.  
 Impressio ergo facta per primum actum aut manet usque ad

---

30 eisdem] *coni.*: eiusdem π

aduentum secundi aut non; si maneat, illud augmentatur per  
 secundum; si non maneat, queram eodem modo de impressione 50  
 facta per secundum et sic de aliis; et sequitur, si non maneat, quod  
 nunquam generabitur, si uero maneat, iam generatus est habitus per  
 talem actum et per quemlibet actum alium augmentatum. Cum enim  
 habitus et quecumque qualitas sit forma simplex, oportet quod unico  
 actu acquiratur quantum ad id quod est per essentiam. Quod dico 55  
 pro tanto, quia quantum ad completam rationem habitus non est sic;  
 habitus enim et dispositio licet sint una res per essentiam, differunt  
 tamen in hoc, quia illud idem quod dicit dispositio per modum  
 imperfecti instabilis dicit habitus per modum stabilis et perfecti. Quia  
 ergo unus solus actus non potest suam impressionem facere sub esse 60  
 perfecto et stabili, potissime ubi preexistit contraria dispositio  
 potentie, ideo quod generatur ex unico actu potius dicitur dispositio  
 quam habitus.

[7] De tertio sciendum quod non omnis actus ex charitate procedens  
 meretur augmentum charitatis, set solum illi qui sunt secundum 65  
 proportionem charitatis informantis uoluntatem uel excellentiores,  
 puta ex toto conatu uoluntatis. Cuius ratio est quia ille solus dignus  
 est accipiendis qui bene utitur iam acceptis; set habens habitum iam  
 intensum et remisse operans non utitur debito modo suo habitu,  
 quia actus non proportionatur intensionem habitus; ergo per tales actus 70  
 non meremur augmentum charitatis, set solum per illos qui excellunt  
 uel adequant ipsum habitum.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod maius est mereri  
 augmentum charitatis quam uitam eternam, quia per illum actum per  
 quem meremur augmentum charitatis meremur uitam eternam et 75

---

68 qui] *coni.*: quia  $\pi$

aliquid aliud, scilicet charitatis augmentum, et non econuerso; non enim per omnem actum per quem meremur uitam eternam meremur augmentum charitatis.

[9] Ad secundum dicendum quod habitus acquisitus causatur ex  
 80 unico actu quantum ad essentiam habitus et per quemlibet actum  
 sequentem augetur; de habitu autem infuso, ut est charitas, ad quem  
 se habent actus nostri solum meritorie, non est sic, quia per illos  
 actus solum meremur augmentum habitus qui sunt proportionati  
 habitui uel excellentiores, et causa dicta fuit. Argumentum in  
 85 oppositum solum probat quod charitas non augetur ex actibus  
 nostris effectiue, quod conceditur.

### Questio nona

#### Vtrum charitas possit augeri in infinitum

[1] Quinto queritur utrum charitas possit augeri in infinitum. Et  
 5 uidetur quod sic, quia bonus saltem in uia semper potest proficere,  
 ut dicit Glosa Philip. 3<sup>o</sup>; set non est profectus sine augmento  
 charitatis; ergo charitas saltem in uia semper potest augeri.

π61ra | [2] Item si charitati repugnaret augeri etiam in infinitum, hoc esset  
 ex parte agentis uel ex parte subiecti recipientis uel ex limitatione  
 10 ipsius charitatis; non ex parte agentis, quia Deus, qui charitatem  
 infundit et auget, est infinite uirtutis et potest semper plus et plus  
 infundere; nec ex parte capacitatis subiecti, quia in uoluntate est  
 duplex capacitas respectu charitatis, scilicet proxima et remota  
 (proxima est ex actibus nostris, quibus reddimus nos dignos

2 Vtrum...infinitum] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 2, 4 (421-424); *S.th.*, II-II, 24,  
 7 5 bonus...proficere] cf. Glossa, \*\*

augmento charitatis, remota uero est nuda potentia uoluntatis); ex 15  
 parte prime capacitatis non est necessarium augmentum charitatis  
 habere finem, quia quanto plus augetur charitas, tanto plus crescit  
 talis capacitas (actus enim qui sunt ex maiori charitate reddunt nos  
 digniores augmento charitatis); nec ex parte secunde, quia potentie  
 passiue finite non repugnat perfici in infinitum successiue sic quod 20  
 nunquam sit deuentum ad infinitum actum, neque respectu  
 perfectionum diuersarum specierum, sicut quantitas est in potentia  
 ad infinitas figuras successiue, puta ad trigonum et tetragonum, et sic  
 deinceps, neque respectu eiusdem forme, dummodo forme non  
 repugnet augeri in infinitum. Quod autem non repugnet charitati 25  
 talis infinitas, patet, quia limitatio secundum speciem non repugnat  
 infinitati graduum in eadem specie, quia limitatio secundum speciem  
 ponit rem in gradu a quo non potest se extendere ad perfectionem  
 alterius speciei, set non impedit quin infra speciem possit semper  
 plus et plus intendi non ponendo terminum in eadem specie; ergo ex 30  
 nulla parte repugnat charitati augeri in infinitum.

[3] In contrarium arguitur sic: charitas *meretur augeri ut aucta mereatur  
 perfici*, sicut dicit AUGUSTINUS Ad Bonifacium; set illud quod  
 potest in infinitum augeri non potest perfici, nisi fiat actu infinitum,  
 quod reputatur impossibile potissime in qualitatibus; ergo charitas 35  
 non potest in infinitum augeri.

[4] Responsio. Circa questionem istam est triplex modus dicendi:  
 primus est quod charitas et uniuersaliter omnis forma suscipiens  
 magis et minus potest augeri in infinitum, sic tamen quod nunquam  
 est deuenire ad infinitum actu. 40

[5] Secundus modus est quod charitas specialiter, set non omnis

---

32 meretur...perfici] Aug, *Epist.*, 186, 10 (53, 7-8)

forma generaliter, potest habere tale augmentum.

[6] Tertius est quod nec charitas nec aliqua qualitas potest augeri in infinitum, set est deuenire ad supremum gradum perfectionis, ultra  
 45 quem nec charitas nec alia forma reperiri potest. Ratio primi modi est secunda ratio prius posita in arguendo ad questionem; illa enim eque probat de omni forma suscipiente magis et minus quod possit augeri in infinitum, saltem uirtute diuina sicut de charitate, ut patet consideranti uirtutem rationis.

[7] Ratio secundi modi est quia magis et minus sunt per accessum maiorem et minorem ad terminum; ubi ergo terminus distat in infinitum ab antecedente, accessus poterit esse infinitus et ratio accedenti infinita; set terminus rationalis creature, scilicet Deus, distat in infinitum a creatura; ergo accessus potest esse infinitus et  
 55 ratio accedendi infinita; charitas autem est ratio accedendi ad Deum; quare etc. Confirmatur hec ratio per exemplum: si enim locus sursum distaret in infinitum quocunque motu dato posset dari maior; similiter est in proposito, ut uidetur; item in numeris est processus in infinitum propter infinitum recessum ab unitate; ergo in charitate est  
 60 processus in infinitum propter accessum infinitum ad Deum.

[8] Ratio tertii modi est multiplex: una est quia omnis natura que est deducibilis de paruo ad magnum, si non habet terminum in maximo, non habet terminum in minimo, ut patet in magnitudine molis, in qua sicut est possibilis processus in infinitum augmentando quantum  
 65 est ex parte quantitatis nec est dare terminum in maximo, sic est possibilis processus in infinitum diminuendo quantum est ex parte quantitatis nec est dare terminum in minimo; set in omni forma recipiente magis et minus est dare terminum in minimo ex ipsa

---

64 possibilis] *omni*: possibile  $\pi$

natura forme, nec est illa parte possibilis processus in infinitum; ergo  
 in omni tali forma est dare terminum in maximo nec est possibilis 70  
 processus in infinitum. Maior probata est. Minor declaratur, quia si  
 per motum diminutionis et remissionis non esset deuenire ad  
 infinitum gradum, in quo forma posset saluari, set semper esset | π61rb  
 inuenire imperfectiorem gradum, tunc actio calidi remittentis  
 frigidum posset procedere in infinitum; hoc autem esset 75  
 inconueniens, quia calidum posset sic in infinitum agerere et  
 nunquam introduceret calorem semper remanente frigiditate in  
 subiecto.

[9] Secundo, quia VIII Phisicorum uult PHILOSOPHUS quod  
 nullus motus alterationis potest esse infinitus; set motus intensionis 80  
 et remissionis est motus alterationis; ergo nullus talis motus potest  
 tendere in infinitum. Tertio patet sic: idem inter terminos signatos et  
 finite distantes impossibile est motus procedere in infinitum; set  
 albedo et nigredo uel calor et frigus accepta secundum aliquem  
 gradum signatum sunt termini finite distantes; ergo impossibile est 85  
 quod inter istos terminos aliquis motus possit procedere in infinitum;  
 posset autem si forma posset remitti in infinitum; ergo illud est  
 impossibile; quare et ipsum augeri in infinitum est impossibile.

[10] Item natura generis magis requirit pluralitatem graduum  
 specificorum quam natura forme specificè requirit pluralitatem 90  
 graduum intensionis et remissionis. Quod patet ex hoc, quia nulla  
 natura generis est sine pluralitate specierum actu ente uel possibili;  
 multe autem forme specificè sunt que non habent aliquam graduum  
 latitudinem nec habere possunt, ut declaratum fuit prius; set intra  
 naturam generis non potest procedi in infinitum in pluralitate 95

---

80 nullus...infinitus] cf. Arist., *Phys.*, VIII, 7-8, 261a31-b28



graduum specificorum, set est dare supremum et infinitum, ut in  
 genere animalis supremus gradus, quo nec est nec esse potest in  
 genere animalis altior, est natura humana; infimus uero in aliqua  
 specie, licet sit nobis ignota, et in genere coloris album et nigrum et  
 100 uniuersaliter in omni genere habente sub se ueram contrarietatem  
 extrema contrarietatis, que maxime distant, claudunt inter se  
 tanquam supremum et infinitum omnes grades sub genere possibili-  
 Igitur, ut uidetur, omnes gradus possibili sub forma specifica  
 clauduntur fortiori ratione inter supremum et infimum; propter quod  
 105 non potest esse in eis processus in infinitum; et hoc non solum est  
 uerum in speciebus specialissimis, que sunt in genere infimo, set  
 etiam in omnibus speciebus, que sunt supremo genere substantie, ut  
 infra patebit. Quod autem dictum est prius de qualitatibus in  
 generali, scilicet quod non possunt augeri in infinitum, puto quod  
 110 uerificetur de charitate nec apparet quid obuiet preter ea que dicta  
 sunt pro confirmatione secunde opinionis, quorum solutio postea  
 apparebit. Pro hac opinione est dictum AUGUSTINI in  
 Enchiridion ultimo capitulo, ubi dicit quod *charitas crescit donec  
 perueniat ad eam magnitudinem qua maior esse non possit.*  
 115 [11] Ad primum argumentum dicendum quod bonus in uia semper  
 potest proficere secundum communem cursum qui inuenitur in  
 bonis, quia secundum QUOSDAM ex ordinatione diuina charitas  
 nunquam habetur hic perfecta, set est tanta charitas patrie in minimo  
 beato ut nulla charitas uiatoris equetur ei; et secundum hoc exponunt  
 120 illud quod Dominus dixit de Ioanne MATTHEI 11<sup>o</sup>: *Qui minor est in  
 regno celorum maior est illo*; tamen considerando naturam charitatis

---

113 Enchiridion] Enchir. π

---

113 charitas...possit] cf. Aug., *Ench.*, 32, 121 (114, 23-25) 120 Qui...illo] Matt., 11, 11

secundum se uiator, si diu procederet uiuendo et semper proficeret in charitate, tantum posset uiuere et tantum proficere quod charitas sua equaretur charitate uiatoris cuiuscunque et etiam comprehensoris; uel potest dici quod quilibet bonus in uia semper potest proficere uel quo ad augmentum charitatis, ut imperfecte, uel quo ad numerum actuum charitatis perfecte, set illa multiplicatio actuum non merebitur augmentum charitatis iam existentis in suo termino. 125

[12] Ad secundum patet solutio ex dictis in corpore questionis, scilicet quod omni qualitati suscipienti magis et minus repugnat infinitas gradus in eadem specie, ut aliquanter dictum est. 130

[13] Ad rationem que probat specialiter de charitate quod possit in infinitum augeri, respondendum est. Cum enim dicitur quod ubi terminus distat in infinitum ab accidente, potest accessus esse infinitus et ratio accedendi infinita, dicendum quod uerum est in accessu successiuo et respectu termini sic distantis, quod non attingitur aliqua parte talis accessus, ut patet in exemplo adducto de motu sursum, si locus sursum distaret in infinitum; set in proposito nostro accessus ad Deum per charitatem non est illo modo successiuus, | imo quolibet actu charitatis quantumcunque indiuisibili Deus attingitur ut obiectum, quia aliter non est attingibilis terminus a nobis. Cum ergo attingatur Deus actu etiam indiuisibili, non oportet propter accessum ad ipsum ponere infinitatem in accessu, et si esset successiuus accessus et infinitus, tamen non sequeretur quod charitas, que est ratio accedendi, posset esse infinita, sicut non oportet quod grauitas esset infinita dato quod locus deorsum distaret in infinitum et motus deorsum ad 140  
π61va 145

---

142 indiuisibili] *con.*: inuisibili π

ipsum esset infinitus; idem enim manens idem semper potest idem  
 150 facere, et si maneret, in infinitum posset facere idem infinitum;  
 propter quod grauitas finita sicut charitas finita, quandiu maneret,  
 posset causare accessum ad terminum quantumcunque distantem.  
 Si uero dicatur quod distantia termini, scilicet Dei, a creatura in  
 infinitum est causa accessus possibilis ad ipsum in infinitum, non  
 155 sic quod nunquam attingatur quantumcunque creatura accedat, set  
 quia quantumcunque attingatur, tamen plus in infinitum est  
 attingibilis (non enim potest Deus tantum diligere a creatura quin dato  
 quocunque termino adhuc sit plus diligibilis), dicendum quod licet  
 Deus sit diligibilis in infinitum tanquam bonum infinitum, tamen  
 160 creatura non est dilectiua in infinitum cum sit uirtutis finita, Deus  
 tamen diligitur a seipso infinite.

#### Questio decima

##### Vtrum charitas possit diminui

[1] Postquam quesitum est de necessitate charitatis et de eius  
 5 augmento, hic queritur de eius diminutione. Et arguitur quod possit  
 diminui, quia forme naturales que possunt intendi possunt remitti;  
 ergo similiter est in habitibus infusis; set charitas, que est habitus  
 infusus, potest intendi; ergo potest remitti.  
 [2] Item illa que sunt eiusdem rationis in essendo sunt eiusdem  
 10 efficacie in agendo, licet proportionabiliter, ita quod illud quod  
 natum est corrumpi a maiori saltem natum est diminui a minori; set  
 cupiditas maior et minor sunt eiusdem rationis cum ex eodem

---

2 Vtrum...diminui] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 2, 5 (424-427); *S.th.*, II-II, 24,  
 10

procedant; cum ergo maior cupiditas, que in peccato mortali, charitatem omnino corrumpat, uidetur quod minor cupiditas, que est in ueniali, eam diminuat. 15

[3] Contra: si charitas possit diminui, hoc esset per peccatum mortale uel ueniale; non per mortale, quia illud non diminuit charitatem, set omnino corrumpit; nec per ueniale, quia tunc tantum possent multiplicari uenialia quod totaliter tollerent, quia omne finitum tandem consumitur ablato aliquoties ab eo aliquo finito; hoc autem est impossibile, quia tunc per sola uenialia homo posset damnari; quare etc. 20

[4] Responsio. Circa essentiam habituum supernaturalium quos infusos dicimus nichil omnino possunt actiones nostre bone uel male nisi meritorie quo ad generationem uel corruptionem, augmentum uel diminutionem, set omnia sunt effectiue a Deo. Et ideo quod actu diminuatur, si contingat hoc, erit ex actibus nostris meritorie et a Deo effectiue; quod autem habitus talis sit diminuibilis, oportet quod sit ex natura habitus. 25

[5] Quibus suppositis uidenda sunt duo: primum est an charitas possit diminui; secundum est utrum aliquando diminuatur secundum actum. Quod autem possit diminui quantum est de natura sua, omnes concedunt, sicut quod possit augeri et rationabiliter, quia omnis forma que non consistit in indiuisibili set habet latitudinem diuersorum graduum, in quibus natura eius potest saluari, talis forma, sicut potest per agens deduci de imperfecto gradu ad perfectum, sic quantum est de se potest reduci de perfecto ad imperfectionem; set charitas est huiusmodi, ut dictum est prius; ergo sicut charitas educitur de imperfecto gradu ad perfectiorem 30 35

---

13 peccato] *scr.*: peccato  $\pi$  34 indiuisibili] *omi.*: diuisibili  $\pi$  38 imperfectionem] *omi.*: imperfectionem  $\pi$

40 per augmentum, sic potest reduci de perfecto ad imperfectionem  
per diminutionem.

[6] Vtrum autem quandoque diminuatur actu, duplex est opinio:  
una QUORUNDAM dicentium quod sic. Quorum ratio est ista, quia  
Deus non est causa corruptionis charitatis nisi per auersionem  
45 uoluntatis a Deo, quia sicut uoluntas a Deo omnino auertitur per  
peccatum mortale, sic aliquantulum per peccatum ueniale; etsi non  
omnino, dicente AUGUSTINO libro Confessionum: *O magne  
minus te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat*; in peccato  
autem ueniali creatura amatur non propter Deum, quia si propter  
50 Deum, nullum esset peccatum; ergo uidetur quod sicut propter  
totalem auersionem, que a Deo est in peccato mortali, charitas  
corrumpitur, sic propter partialem, que est in peccato ueniali,  
charitas diminuitur. Pro hac opinione uidetur esse AUGUSTINUS  
Questionibus dicens quod *uenenum charitatis est cupiditas. Vbi*  
55 *autem magna cupiditas, parua charitas*, et ubi nulla cupiditas, perfecta  
charitas. Ex quo patet quod secundum augmentum cupiditatis est  
diminutio charitatis; constat autem quod sepe augmentatur cupiditas;  
ergo sepe minuitur charitas.

[7] Item illud quod facit quod a principio minor charitas infundatur  
60 facit quod charitas habita minoretur; set peccatum ueniale uel  
multitudo eorum, si esset in homine antequam charitas  
infunderetur, faceret quod minor charitas daretur; ergo habita  
charitate faciunt quod minoretur.

[8] Item demus duos qui sint in equali charitate, quorum unus  
65 peccet uenialiter, alter non; non est probabile quod uterque eorum

---

47 O...amat<sup>3</sup>] Aug, Conf., X, 29, 40 (176, 6-7) 54 uenenum...cupiditas] cf.  
Aug, De diu. quest. 83, 36, 1 (54, 11-15) 55 magna...charitas] cf. Thom., Super  
Sent., I, 17, 2, 5, arg 2 (424)

sit aqualiter Deo charus; set ille magis qui non peccat et ille minus qui peccat; set minus est charus qui minus habet charitatem; ergo etc.

[9] Ad rationem in oppositum respondent ISTI quod uenialia diminuunt charitatem, nunquam tamen per sola uenialia corrumpitur, set uenialia totiens iterari possunt quod causabunt talem dispositionem quod si homo procedat ultra secundum illam dispositionem, non poterit exire in actum quin incidat in talem contemptum et libidinem sic improbam quod erit peccatum mortale, per quod charitas corrumpetur et nunquam per aliquod ueniale. 70 75

[10] Quicquid sit de conclusione, illud tantum quod dictum est in solutione argumenti non ualet propter multa: primo, quia non oportet dare talem habitum uel dispositionem in nobis. Cuius ratio est quia omnis dispositio et habitus causatur ex actibus qui sunt unius rationis. Ex actibus enim diuersarum rationum nullus habitus causatur; si enim qui semel intemperate concupiscat, deinde timeat ubi non est timendum et postea iniuste agat, ex huiusmodi actibus nunquam causabitur aliquis habitus, set ex frequenter intemperate concupiscere causatur habitus intemperantie et consimiliter ex aliis actibus eiusdem rationis frequentatis causatur habitus correspondens. Nunc est ita quod peccata uenialia, quibus homo potest peccare, non sunt unius rationis, set diuersarum; nec oportet quod peccans uenialiter peccet iteratione similium actuum, set potest peccare modo secundum unam speciem peccati uenialis, modo secundum aliam; ergo non est necesse ex peccatis uenialibus causari in nobis aliquam dispositionem uel habitum qualem ISTI ponunt. 80 85 90

[11] Secundo, quia dato quod causetur in nobis talis dispositio, non

95 esset necesse hominibus ab ea recedere uel secundum eam  
 procedere. Quod patet faciliter ex iam dictis, quia illa dispositio  
 esset causata ex peccatis uenialibus unius speciei; set secundum  
 talem dispositionem non est necesse hominem procedere ut peccet,  
 nec ab ea recedere, set potest secundum alias species uenialium  
 100 peccare, quod faciendo neque procedit secundum dispositionem  
 talem nec ab ea recedit.

Tertio, quia dato quod homo procederet secundum talem uel talem  
 dispositionem, non esset necesse quod peccaret mortaliter, quia  
 habitus et dispositio inclinant per se solum ad actus similes illis ex  
 105 quibus generati sunt; set talis dispositio generata est ex actibus  
 peccatorum uenialium, ut tu dicis; ergo solum inclinat per se ad  
 peccandum uenialiter et non mortaliter.

[12] Item in actum deliberatum qui plene est in potestate  
 uoluntatis nec habet aliquam colligantiam ad aliquid preexistens non  
 110 est necessarium uoluntatem exire; set actus peccati mortalis est actus  
 deliberatus; est etiam plene in potestate uoluntatis nec habet  
 necessariam colligantiam ad dispositionem tantam ex peccatis  
 uenialibus uel da illam, quia de se nulla apparet; ergo non est  
 necessarium uoluntatem exire in talem actum, quantumcunque a  
 115 precedente dispositione non recedat.

[13] Quarto, quia concessis omnibus que ISTI ponunt, adhuc tamen in  
 nullo soluta est ratio. Arguam enim faciendo talem consequentiam:  
 peccata uenialia diminuunt charitatem; ergo si semper  
 multiplicarentur, finaliter tollerent eam; consequens est falsum, scilicet  
 120 charitatem posse tolli per uenialia; consequentia autem de se patet,  
 quia omne finitum per ablationem alicuius finiti tandem consumitur.

---

106 inclinat]† sc.: in inclinat π

[14] Set adhuc posset dici aliter quam prius, uidelicet quod si charitas posset in infinitum augeri, ipsa posset similiter in infinitum minui, sicut continuum quod crescit in infinitum per appositionem potest minui in infinitum per diminutionem; et tunc si peccatum ueniale minueret charitatem, ipsa tamen nunquam tolleretur, quantumcunque uenialia multiplicarentur in infinitum, set diminueret in infinitum. Vnde cum ILLI qui ponunt charitatem posse in infinitum augeri debeant ponere charitatem in infinitum posse minui, non possunt dicere conuenienter quod si charitas per peccatum ueniale minuatur, quod ipsa tollatur propter multiplicationem uenialium. 125

[15] Verius ergo dicitur quod charitas non potest in infinitum augeri nec minui. Dicendum ergo aliter quod charitas nunquam minuitur quantum ad essentiam habitus, quamuis quandoque minuatur quantum ad feruorem actus. Quod tripliciter patet: primo, quia exactibus nostris charitas non potest diminui nisi meritorie nec Deus effectiue minuit eam nisi propter culpam nostram; set nulla culpa nostra meretur diminutionem charitatis; ergo charitas nunquam diminuitur secundum actum. Probatio minoris: culpa enim mortalis non meretur diminutionem eius, quia non stat cum gratia, set magis meretur eius corruptionem; similiter culpa uenialis non meretur corruptionem cum stet cum gratia, nec diminutionem, quia omne quod natum est aliquid diminuere ipsum uel perfectum in illa specie uel aliquotiens multiplicatum natum est corrumpere, sicut omne quod natum est aliquid augere illud idem uel perfectum in illa specie uel aliquotiens multiplicatum natum est simile generare, ut patet in omnibus formis naturalibus; in habitibus etiam acquisitis uidemus 130 135 140 145

---

127 diminueret]† *coni.*: diminuere π



idem, quia ex eisdem actibus generantur et augmentantur et ex  
 similibus corrumpuntur et minuuntur, ut patet II *E thicorum*; et  
 150 sicut est in augmentantibus et minuentibus effectiue, sic, ut uidetur,  
 debet esse in augmentantibus et minuentibus meritorie, sicut sunt  
 actus nostri respectu charitatis; set nullum ueniale nec omnia simul  
 merentur corruptionem charitatis; ergo nec diminutionem.

[16] Secunda ratio talis est: ponatur quod aliquis creetur in minimo  
 155 gradu charitatis; talis, ut uidetur, potest peccare uenialiter; ergo illud  
 peccatum ueniale aut minuet aliquid de charitate aut nichil; si nichil,  
 pari ratione nec quodcunque illud; si aliquid, corrumpet eam cum  
 non sit dare minorem gradum; hoc autem est impossibile; ergo etc.

[17] Respondetur ad hoc quod si talis crearetur in statu innocentie,  
 160 non posset peccare uenialiter primo peccato, sicut nec Adam potuit; si  
 autem in statu originalis peccati, idem sequeretur, quia habens  
 originale solum, ueniens ad etatem qua potest actualiter peccare, non  
 potest peccare primo peccato uenialiter, set mortaliter. Istorum autem  
 alterum est absurdum, scilicet quod aliquis creetur in statu originalis  
 165 peccati et in minimo gradu charitatis, quia charitas non potest stare  
 cum originali; alterum uero, scilicet quod crearetur in statu innocentie,  
 non est necessarium, set posset creari in puris naturalibus sine iustitia  
 originali, tamen cum minimo gradu charitatis. Quod autem talis non  
 possit peccare uenialiter primo peccato, nulla ratio est; Adam enim  
 170 hoc non potuit propter certitudinem que erat in eo ratione iustitie  
 originalis, ut patebit. Tertia ratio talis est: si peccatum ueniale  
 minueret charitatem, minueret etiam premium essenziale quod  
 respondet charitati; decedens ergo in tali statu puniretur poena eterna  
 et perpetua diminutione premii essentialis sibi prius debiti; quod est

---

148 ex<sup>1</sup>...minuuntur] cf. Arist., *E th. Nic.*, II, 1, 1103a31-b25; 3, 1105b9-10  
 169 Adam...171 originalis] cf. infra, II, 21, 4 (166va-b)

inconueniens; quare etc. 175

Et sic patet primum, scilicet quod charitas nunquam minuitur quantum ad essentiam habitus.

¶ [18] Secundum patet, scilicet quod minuatur quandoque quantum ad feruorem actus, quia actiones nostre procedentes ex habitibus infusis sua frequentia causant in nobis quasdam habilitates secundum quas prompte et faciliter inclinamur ad tales actus; unde experimur quod corrupta charitate in aliquo prius assueto operibus charitatis adhuc in ipso remanet promptitudo quedam ad opera similia; et iste habitus non est infusus nec superinfusus, set ex actibus acquisitus. Ex hoc arguitur: quando aliqua duo concurrunt ad unum effectum, impedimentum potest contingere in effectu ex parte utriusque illorum; set ad feruorem actus charitatis duo concurrunt, scilicet intensio habitus charitatis et intensio habitus acquisiti ex frequentia actuum nostrorum; ergo actus potest impediri a solito feruore ex impedimento alterius istorum. Venialia autem minuunt habilitatem causatam ex actibus nostris et eam totaliter possunt tollere, etiam remanente charitate; propter quod charitate non remissa per uenialia feruor actus remittitur ex diminutione predictae habilitatis et tepescit continue in tantum ut quandoque uideatur homo carere charitate ac per hoc fiat promptus ad peccandum mortaliter. 180 185 190 195

[19] Set contra hoc ALIQUI obiiciunt dupliciter: primo, quia feruor, ut dicunt, est in uiribus sensitiuis ex redundantia charitatis que est in uoluntate; ergo non potest feruor diminui nisi causa feruoris diminuatur, scilicet charitas.

[20] Secundo, quia actus procedentes ex uirtute morali moraliter acquisita non generant alium habitum, set precedentem confirmant; ergo similiter actus procedentes a uirtute infusa, scilicet charitate, non generant in nobis alium habitum, sicut precedens ratio assumit, set 200

205 tantum precedentem charitatem confirmant. Et dicendum ad primum  
istorum quod feruor de quo loquimur est intentio actus uoluntatis, set  
non actus uirium sensitiuarum, uel dato quod utrumque sit,  
nichilominus duplicem causam habet, scilicet charitatem et illum  
habitus acquisitum ex frequentia actuum quo solo feruor diminuitur  
ex diminutione sue cause sine diminutione charitatis.

210 [21] Ad secundum dicendum quod non est simile de actibus  
procedentibus a uirtute morali acquisita et de actibus procedentibus a  
uirtute infusa, cuiusmodi est charitas, quia actus procedens a potentia  
perfecta per charitatem et est moralis de se et nichilominus  
supernaturalis ratione charitatis; supernaturale enim et meritorium  
215 non excludunt naturale, set potius includunt. Ex actibus ergo talibus,  
ut sunt meritorii uel supernaturales, nullus alius habitus acquiritur, set  
precedens confirmatur; set ex eis, quatenus sunt morales, potest  
aliquis habitus inferior generari et generatur. Et quia actus  
procedentes a uirtute morali acquisita non habent nisi alterum, scilicet  
220 quod sint morales tantum, ideo nullum alium habitum generant, non  
molelem, quia generatus est, set solum confirmant, nec  
supernaturalem, quia illi ad illum attingere non possunt, cum sit  
altioris gradus.

225 [22] Ad rationes principales. Ad primam dicendum quod non plus  
probat nisi quod charitas; quantum est de natura sua, potest diminui,  
sicut augeri, quod concessum est; set non probat quod aliquando  
secundum actum minuatur, sicut secundum actum augetur.

230 [23] Ad secundum dicendum quod minor est falsa, quia cupiditas que  
est in peccato mortali et ueniali non est unius rationis in genere moris,  
quia cupiditas que est in peccato mortali est contra preceptum et

---

222 illi] *coni.*: illæπ

diuertit a fine, propter quod tollit charitatem que est finis precepti; set cupiditas que est in ueniali non est contra preceptum nec diuertit a fine; propter quod non est proportionabilis earum actio ita ut sicut mortalis tanquam cupiditas maior meretur corruptionem charitatis, ita uenialis tanquam minor meretur diminutionem eius. 235

[24] Ad rationes alterius opinionis dicendum est. Ad primam quod non est auersio eiusdem rationis in peccato mortali et ueniali, cum ueniale non sit contra preceptum nec diuertat a fine, set potius sit quies et status in uia circa finem eo quod talis actus non refertur in finem; propter quod interruptitur actualis motus in finem, set non est conuersio aliquo modo | oppositum finis; quare nec auersio a fine; 240  
 uerumtamen ex consuetudine talis interruptionis et dissuetudine conuersionis ad Deum minuiturabilitas que erat in nobis causata ex frequenti conuersione ad Deum, set non habitus propter causam predictam. In hoc sensu loquitur AUGUSTINUS, qui dicit: *Minus te amat* 245  
*qui tecum aliquid amat quod non propter te amat*; in eodem sensu accipiendum est quod ibidem dicit AUGUSTINUS, quod *uenenum*  
*charitatis est cupiditas*; constat enim quod non loquitur de mortali cupiditate, set loquitur de ueniali, que sicut est maior et minor, sic plus et minus minuit charitatem quo ad feruorem actus, set non quo 250  
 ad essentiam habitus, quamuis ALIQUI dicant quod talis cupiditas contrariatur charitati et eam minuit, quod satis est mirabile, quia contraria nunquam possunt simul stare; ISTI autem ponunt talem cupiditatem manere cum charitate.  
 [25] Ad aliud, cum dicitur quod id quod principio etc., dicendum est 255

231 quod] *omi.*: quem  $\pi$

245 Minus...amat<sup>3</sup>] Aug, *Corf.*, X, 29, 40 (176, 6-7) 247 uenenum...cupiditas]  
 cf. Aug, *De diu. quæst.* 83, 36, 1 (54, 11-15)

quod ueniale peccatum unum uel multa non facit quod a principio minor charitas detur, nisi quia facit quod conatus uoluntatis sit minus intensus, et secundum eius proportionem datur charitas de congruo, ut dictum fuit supra. Similiter cum in peccatis uenialibus non sit eque  
 260 intensus conatus, feruor et intensio actus charitatis minuitur per peccata uenialia, set non minuitur charitas, quia charitas nunquam minuitur nisi per demeritum nostrum de condigno, licet detur a principio propter solum meritum de congruo, quia congruum est quod conatu existente intensiore intentior charitas detur; ideo quia per  
 265 peccatum ueniale talis intensio remittitur, congruum est ut minor charitas detur; set diminutio feruoris actus charitatis non meretur de condigno diminutionem eius (alioquin per multa peccata uenialia mereremur de condigno eius corruptionem, quod est impossibile); propter quod per talem diminutionem feruoris actus non minuitur  
 270 charitas quo ad essentiam habitus.

[26] Ad aliud dicendum quod aliquis potest dici charus Deo tripliciter: uno modo determinatione intrinseca ab habitu inherente, et sic qui sunt in equali charitate sunt eque chari Deo, quantumcunque unus peccet uenialiter et alter non; alio modo dicitur  
 275 aliquis charus Deo denominatione extrinseca, scilicet a Deo diligente, et sic omnes dilecti a Deo sunt eque ei chari, siue habitus charitatis sit in eis equalis siue non, quia dilectio Dei non recipit magis et minus; tertio modo dicitur aliquis charus Deo denominatione extrinseca ab effectu proprio (Deus enim dicitur illos diligere  
 280 quibus aliquod donum propriat et illos odire quibus propriat penam), et sic duo existentes in equali charitate quorum alter peccat uenialiter, alter non sunt equaliter a Deo dilecti quantum ad premium essenziale quod respondet charitati, set inequaliter quantum ad premium accidentale seu quantum ad dilationem premii essentialis,

quia decedens in charitate sine aliquo peccato ueniali statim 285  
premiabitur, set decedens cum ueniali non statim premiabitur, set  
puniatur pro illo ueniali, ratione cuius punitionis potest sibi aliquo  
modo dici Deus iratus.

---

286 decedens] *sr.*: descedens *z*